This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

GRYL
WFTB

WORPERI THABORITAE
CHRONICON FRISIAE.

Worp, prior in Thabor

WORPERI TYAERDA EX RENISMAGEEST,

PRIORIS IN THABOR,

CHRONICORUM FRISIAE

LIBRI TRES.

EDIDIT

SOCIETAS FRISIACA,

HISTORIAE, ANTIQUITATIS LITERARUMQUE STUDIOSA.

Leovardiae,
APUD G. T. N. SURINGAR.
MDCCCXLVII.

1847

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
377288
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDS.
R 1907 L

(Typis H. Brandenburgh et Fil., *Worcumi.*)

PRAEFATIO.

Quum Societas Frisiaca, historiae, antiquitatis literarumque studiosa, suis sumtibus WORPERI THABORITAE Chronicon *edi jusserit, in hac editione paranda eo potissimum libro usi sumus, qui in Bibliotheca Ordinum Frisiae servatur, quemque memoravimus in miscellaneis* De vrije Fries, *tom. III, p. 105. Illum enim ex ipso* WORPERI *autographo descriptum videri, et ibi diximus, et nunc censemus, postquam lectiones variorum codicum ad illius scripturam contulimus, qua collatione facta offendimus*

in uno illo libro quaedam infimae Latinitatis vocabula, contrata, dicta, forfactum, *alia*, *pro quibus in aliis omnibus codicibus aut meliora*, *aut saltem magis usitata leguntur. Illius igitur libri textum exhibemus*, *mutata tantum subinde litera in illis vocabulis*, *quae in orthographiam nimium peccarent. Quum vero liber ille desinat in titulo capitis 44*, *libri III*: ALBERTUS dux secundo rediit et dominio Frisiae potitur, *idque caput in nullo alio libro appareat*, *addendum esse credidimus fragmentum aliunde desumtum*, *quod hanc jacturam quodammodo compensare queat.*

Vir literarum et historiae amantissimus FREDERICUS DIDERICUS FONTEIN, Harlingensis, *e vivis discedens Societati Frisiacae*, *cui eximie semper faverat*, *suo nomine et in sui memoriam donari jussit librum*, *cui titulus in dorso inscriptus* WORPERI Chronicon Frisiae, MS. ad 1357, *scriptum eadem manu*, *quae exemplum* FOCCONI AB EYSINGA *et* DOUFONI A GLINSTRA, *anno 1570*, *exaraverat*, *de quo vid.* Vrije Fries, *tom. III*, *p. 108. Ei in fine adscriptum est paginis tribus cum dimidia*, *characteribus valde exiguis*, *et scriptura adeo ab ipso opere longe diversa*, *fragmentum Latino sermone*, *quod totidem fere verbis sermone Belgico legitur in uno codicum Gro-*

ninganorum, *nam in curia* Groningana *quatuor codices* WORPERI *servantur*, *ibique dicitur desumptum esse e* Chronico Hemelumano. Chronicon *autem illud* Hemelumanum *quale fuerit*, *ignoratur*. *Sed tum illa*, *tum alia quaedam*, *quae in eodem libro ex illo chronico allegantur*, *mirum in modum congruunt cum verbis* ANDREAE CORNELII STAURIENSIS, *vel potius fortasse* JOANNIS FLYTARPII, *cujus historiam ille emendatam*, *uti dicit*, *ad sua tempora continuavit*. *Illud igitur fragmentum quoque reperitur in chronico*, *quod a primo auctore* OCCA SCARLENSI *fere nomen habet*, *in fine libri tertii*, *ibique incipit a verbis*: » Daer waren ook ettelycke schepen op » de riviere van der Lauwerts van den Hollantschen grave » gesonden," *etc.* *Narratio vero quamquam in utroque textu est valde similis*, *non tamen plane eadem est*, *quum Latine scripta haud levibus indiciis* Schiringiorum *partibus faveat*, *Belgica vero auctorem prodat* Vetcoperis *addictum*. *Quocirca neque inutile lectoribus*, *neque ingratum fore visum est*, *si chronico* WORPERI *fragmentum illud adjungeretur e codice* FONTEINIANO.

Ceterum de variis hujus chronici codicibus non est, *quod hic moneamus*, *quoniam in hac editione parandа nullus eorum usus fuit*. *Quumque illorum notitiam par-*

tim jam publicaverimus in miscellaneis De vrije Fries, *reliquam quoque partem, qua sex codices* Hagani, *quatuorque* Groningani, *et si quos praeterea cognoverimus, describentur, iisdem miscellaneis destinamus.*

Dr. J. G. OTTEMA,

Societati Frisiacae h. t. ab actis.

Leovardiae,

kal. Jan 1847.

WORPERI THABORITAE

CHRONICON FRISIAE.

Liber Primus.

De situ, quantitate et qualitate terrae Frisiae.

CAP. I.

Frisia est regio inferioris Germaniae inter ortum et occasum longissimo tractu in littore septentrionalis Oceani sita, multas in se continens provincias, quas Frisii patrio nomine Zelandias vocant. Ab oriente habet Saxoniam, seu mare Danicum, ab occidente Hollandiam, a meridie vero partem Saxoniae, Westphaliam et Traiectum. Quamquam ipsum Traiectum cum magna parte sui territorii ad Frisiam ab antiquo spectasse constat, ut infra dicetur. Ab aquilone autem Oceano septentrionali clauditur. Situs ejus ab ortu versus occasum, ad austrum tamen parum inflectendo, in immensam porrectus est longitudinem: in lato

vero angustus est. Est autem terra plana sine montibus, armentis et gregibus opulenta. Et quae in boreali plaga Oceano adiacet, gleba est argillosa, frumenti ferax, gramine exuberans, pascuis uberrima, alendisque pecoribus aptissima. Unde ingentes boves crassos et pingues gignit et alit, quos per proprios et peregrinos deforis venientes mercatores ad circumiacentes regiones venales emittit. Insuper et illa pars Frisiae lacte, butiro, et melle virgineo abundat, quibus multas inferioris Germaniae provincias alit et nutrit. Australis vero pars Frisiae sabulosam habet terram, magisque frumentis ferendis, quam gregibus alendis aptam. Arboribus etiam plus quam borealis pars abundat. Pluribus in locis palustris existit, in quibus effodiuntur glebae, quae ad solem desiccatae lignorum, quo ad ignium fomentum, supplent defectum: plures autem sicco stercore boum ignes fovent. Rara inter Frisios oppida, sed frequentes vici, et ita per totam fere Frisiam coniuncti, ut unus ab altero vix secerni queat. In aliquibus partibus lacus habet magnos et utiles, qui pro sua magnitudine ac piscium multitudine patrio nomine maria nuncupantur. Et quia Frisia Oceano contigua est, ideo ne eius fluctus irrumpant, vallo littus omne praecingitur. Quod si forte perfregerint, inundant campos, vicos et sata demergunt, et nonnunquam etiam homines et iumenta cum penatibus obruunt. Nec hodie, saltem universaliter, est dubitare, oceani inundatio plus utilitatis, an periculi incolis afferat. Neque inundationem comitatur feracitas, aut magnos frugum proventus oceani inundantis beneficio Frisia assequitur (uti quidam tradunt); sed maxima terrae sterilitas talem inundationem sequitur, propter marinae aquae omnem terrae superficiem occupantis salsedinem, quae terram et aquas, tam fluviales quam lacustres, interioris Frisiae salsas efficit. Unde et terra primo anno penitus sterilis et infructuosa redditur, piscesque omnes fluviales, quorum magna diver-

sorum generum in lacubus ac fluviis est copia, moriuntur, nisi frequenti ac quasi iugi in vere pluvia terra et aqua pristinam assequantur dulcedinem. Et licet haec regio feris ob silvarum defectum careat animalibus, ne tamen deliciosis ac opulentis, quod delectat, desit incolis, providente omnium rerum conditore atque largitore Deo, multa avium volucrumque tam campestrium, quam fluvialium habet genera, quarum cum ovis, tum carnibus lautissime pascuntur. Et ut de anatibus, anseribus, aliarumque multarum avium generibus, (quarum in Frisia vix est numerus, quaeque in aliis quibusdam forte provinciis, etsi non in tanta copia, nonnunquam tamen inveniuntur), sileam, cygnorum tanta est multitudo, ut non solum nobiles et delicati quorum esui proprie competere videntur, sed et mediocres agrestesque homines ad satietatem eis vescantur. Hoc de Frisiis dixisse divum Caesarem crediderim, quum quarto belli Gallici libro scriptum reliquerit: Rhenus (inquit) ubi Oceano appropinquat, in plures defluit partes, multis ingentibusque insulis effectis. Quarum pars magna a feris barbarisque nationibus incolitur. Ex quibus sunt qui piscibus ovisque avium vivere existimantur. Haec ille. Constat profecto Frisios nonnullas Rheni insulas inhabitare, ut patet de occidentali Frisia, ad occidentem videlicet Flevi fluminis sita, quam Rheni esse insulam nemo dubitat. Quarum in praesentem usque diem pauperiores ac tenuiores incolae piscationi, aucupio, atque ovorum campestrium avium inquisitioni operam dantes et sibi quaestum magnum et ditioribus voluptatem procurant. Est autem Frisia regio pulcherrima, populosissima et feracissima. Habet namque quatuor (veterum scriptis notissima) flumina, quae per Frisiam in Oceanum elabuntur, Albim videlicet, Visurgum, Amasum et Flevum. Est autem Amasus fluvius, in quo (teste Strabone lib. vii^{mo}) Drusus Germanicus privignus Octaviani Bructeros navali proelio superavit. Omnia itaque ad victum

necessaria terra Frisia suis cultoribus cumulatissime producit, vino excepto et oleo.

De laudibus & moribus Frisonum.

CAP. II.

Dicturus aliqua de laude et moribus Frisiae gentis, hoc primo notandum est, quod videlicet Frisii inter Germanos morantur et numerantur, plurimum tamen habitu, lingua et moribus a Germanis differunt. Nam eorum idioma Germanorum perpauci intelligunt, paucioresque, imo ex mille vix unus perfecte addiscit. Porro habitu patres nostri non modice ab omnibus discrepabant Germanis, ita ut extra patriam suam constitutus, solo habitu facile agnoscebatur Friso. Et id quidem evenisse existimo, quia rara priscis Frisiis cum Germanis fuit conversatio. Sed nunc ex mutua ipsorum frequenti conversatione, Germanis fere conformes habitu efficiuntur. Verum mulieres in praesentem usque diem ab vicinarum mulieribus nationum habitu et maxime capitum velis multum discrepant. Et quamvis (ut superiori testatus sum cap. imo) rarae in Frisia sunt civitates, sed vici ac villae frequentes, et idcirco urbicolae pauci, sed omnes fere ruricolae; sunt tamen prae caeteris Germaniae rusticis moribus et verbis urbani ac compositi, domibus magnifici, supellectili mundi et nitidi, vestibus ornati et sumptuosi, auro denique et argento abundantes. Et ut de viris etiam mediocribus et tenuioribus, imo et conductitiis servis (qui domi penes se duo triave vestimentorum genera habent, quae pro temporum congruentia induunt) sileam, mulieres festis diebus ita auro argentoque fulgentes incedunt, ut similes in Christiano orbe eiusdem status et con-

ditionis vix videris. Raro quippe ibi mulierem rusticam nisi ex argento puro inauratove ingentis ponderis cingulo ornatam conspicias. At ditiores etiam armillas ad brachia, atque fibulam pro pectoris ornatu ex auro aut argento non parvi ponderis ex patria gestant consuetudine. Et haec quidem ignobile vulgus. Verum matronae nobiles longe amplius aureis argenteisque varii generis decorantur ornamentis, ita ut non minus oneratae quam ornatae videantur. Atque Germanis ad Frisiam forte adventantibus iucundum insolitumque praebere solent spectaculum. Et licet Frisii ferocis ac severi credantur et dicantur animi, in hostes tamen, et non indifferenter ad omnes, hoc intelligas velim; quum alias singulari quadam liberalitate, urbanitate ac hospitalitate prae caeteris sint praediti. Nam peregrinos, ignotos et pauperes ad eos forte declinantes non modo rogati comiter excipiunt, sed et ultro trahunt et invitant, atque illis victum abunde gratis ministrant, nisi publica forte fuerint diversoria, ubi huiusmodi venundari solent. Ob quod etiam multa et paene quotidiana inter se celebrant convivia, in quibus potationibus et ebrietatibus more Germanorum plus iusto student. Habent quippe ingentia magnae capacitatis cornua ferorum animalium, laminis aureis argenteisve circa oram, medium et finem circumdata, quibus poculorum loco in conviviis utuntur. Horum cornuum Caesarem meminisse existimo, lib. vito. belli Gallici dicentem: In Hercinia silva multa ferarum genera nasci constat, quae reliquis in locis visa non sunt, inter quae unum est genus eorum, qui Vri appellantur. Eorum cornuum amplitudo, figura et species multum a nostrorum boum cornibus differunt. Haec studiose conquisita ab labris argento circumcludunt, atque in amplissimis epulis pro poculo utuntur. Haec ille. Est et alia ceteris gentibus rara, sed huic paene peculiaris, non certe contemnenda, nec ridenda consuetudo, quam pro lege quasi observant; ut videlicet quotiens patheram

plenam vicino convivanti ex more tradant, id non nisi datis dextris, cuiuscumque etiam conditionis, status aut sexus fuerint, efficiant. Et si personae dissimiles, aut utraeque feminei sexus fuerint addito osculo id perficiant. Nec id verecundum est apud illos, neque suspicio inde mali, aut scandalum exoritur, quum id consuetum sit illis in quacumque frequentia, aut hominum multitudine facere. Et non solum in conviviis id actitant, verum etiam si amicus, vicinus, aut quivis alius, notus tamen, post quamcumque reversus fuerit absentiam, non modo uxor aut cognatae, sed et quae hominem tantum noverunt, post datas dexteras eius strngentes collum osculabundae salutant. Et ipsi quidem externi, qui alias hanc ridere solent consuetudinem, tamen quum ad Frisiam ex causa venerint, cupide (quia forte delectat) imitantur. Caeterum de laude huius gentis multi laudatissimi viri multa scripsere, quorum pauca ad manus nostras venerunt. Inter quos ea, quae Bartholomeus Anglicus, et post eum Aeneas Silvius, qui postea adepto papatu dictus est Pius papa secundus, posteris reliquerunt, hic subnectam. Est autem (inquit) gens Frisonum ferox, armis exercitata, robusti et proceri corporis, securi et intrepidi animi. Gens libera, suis utens moribus, exteris nec parere sustinet, nec dominari cupit. Morti se exponit gratia libertatis, potiusque mortem diligit quam iugo opprimi servitutis. Ideo dignitates abnuunt militares, nec aliquos inter se erigi in sublime permittunt sub militiae titulo. Subsunt tamen iudicibus, quos annuatim de se ipsis eligunt, qui rempublicam aequo iure disponunt. Viri fere omnes circulariter in coma sunt attonsi, qui quanto sunt nobiliores, tanto altius circumtonderi gloriosius arbitrantur. Castitatem multum zelant, et feminarum impudicitiam severius puniunt. Filios suos et filias usque ad completum fere adolescentiae terminum castos servant. Ex quo contingit, quod tunc temporis datae nuptui ipsorum soboles prolem com-

pletam generant et robustam. Haec Bartholomeus in libro de proprietatibus rerum, et Pius in Europa sua. Et haec quidem usque in praesentem diem apud Frisios perseverant, exceptis paucis quae temporum diuturnitate vel paululum immutata vel penitus sunt abrogata. Et in primis quod Bartholomeus dicit, viros fere omnes et praecipue nobiles circulariter in coma attonsos, hodie verum non est. Nam omnes fere nunc comam nutriunt: fuit tamen maioribus nostris peculiare id, et nobilibus praesertim a Carolo magno constitutum, ut patet in privilegiis eiusdem Caroli Frisonibus datis. Insuper et id quod Aeneas Silvius dicit, sacerdotes apud Frisios, ne aliena cubilia polluant, sine coniuge non facile admitti, eo quod vix continere hominem (*) et super naturam arbitrantur, non esse neque unquam fuisse verum (quod salva pace tanti viri dictum sit) audacter dico. Et nescio a quo falsiloquo tanto viro tam anilis et falsa (audita enim scripsit) persuasa sit fabula, cum manifeste constet, in hac gente semper fuisse, et adhuc esse multos ac non pauco numero mundissimos sacerdotes atque castissimos. Neque tamen impudicos et fornicarios eos habere non paucos negaverim; sed quae gens aut natio talibus caret, illa primum lapidem in fornicarios sacerdotes Frisiae mittat. Quae (rogo) consequentia est, ut Frisii hominem continere se posse super naturam arbitrentur, quum tam multa, tam opulenta et regalia in suis terris fundaverint monasteria, in quibus paene innumerabiles utriusque sexus castissime et sanctissime sub regulari disciplina Deo militent. Quod denique Frisones apud claros authores zelo castitatis prae caeteris laudantur nationibus non indignanter quaeso accipiatur; huius quippe rei testes (praeter supra dictos) plures scriptores (nisi brevitati studerem) adducere possem. Legi nuper in vetustissimo libro sermonum prae-

(*) f. quod se continere vix hominis.

dicabilium, incerto tamen authore: gens (inquit) Frisonum miro modo castitatam zelat.

Frisones unde originem habent, diversae opiniones.

CAP. III.

Frisones non indigenas (ut quidam volunt) sed advenas esse, sicut caeteras omnes Germaniae nationes, nulli dubium. Sed a quibus exorti, aut unde egressi, quove tempore ad hanc quam modo incolunt terram venerunt, ad liquidum reperire non potui. Et eo maxime quia Chronicae Frisonum dicunt, se et Saxones atque Westphalos a tribus ortos fratribus, atque ad has, quas nunc incolunt, terras eodem venisse tempore. Quum tamen Saxonum et Frisonum Chronicae, de gente a qua exordium sumpserunt, non parum discrepare videntur. Si enim de suo ortu Chronicae Frisonum omissis aliis tantum loquerentur, non multo opus esset labore, quum satis multa de his apud Frisios legantur et habeantur. Nunc vero quum etiam de aliis, a quibus tamen discrepare videntur, mentionem faciant, necessarium videtur aut unius gentis Chronicam spreta alterius sequi, aut certe diversa concordare et sub uno veritatis stilo redigere. Quod videlicet facere sicut primum temerarium, ita alterum nimis videtur laboriosum. Ponam igitur ea tam quae apud Saxones, quam quae apud Frisones super hac re feruntur et ad manus meas venerunt, et ubi diversa concordare nequivero, lectoris iudicio relinquam, ut quam voluerit partem sequatur. Hoc primum praemittendo, de ortu Frisonum duae inveniuntur apud Frisones editiones patrio sermone conscriptae, non omnino inter se concordes, quarum singulas opiniones ponere curabo.

De exortu igitur Frisonum videtur haberi in Speculo Saxonum libro tertio cap. xlii, ubi dicitur; quod in exercitu Alexandri magni fuerunt multi cum principe Ciliciae, qui iuvabant Alexandrum victo Dario rege Persarum subiugare totum orientem; qui post mortem Alexandri non audentes remanere in Asia, quia odiosi ibi erant, impleverunt de rapinis et spoliis trecentas naves et pergebant versus Europam. Quae naves propter imperitiam artis nauticae universae submersae sunt in mari, exceptis quinquaginta quatuor. Ex quibus venerunt octodecim in Prussiam, quae tunc erat terra inculta, et manserunt ibi; duodecim autem venerunt in Ruien, ex quibus exorti Ditmarsche et Holsten et Hadelarii; viginti quatuor autem venerunt in Saxoniam, qui expulsis inde Turingis possederunt eam. Haec ibi. Cum igitur Ditmaria sit antiquitus Frisia habita cum Hadelaria, quia hic cum Saxonibus memorantur venisse de exercitu Alexandri magni, constat profecto eos de eadem gente ortos, et paulo post mortem Alexandri magni ad has, quas nunc incolunt, venisse terras, qui fuit ante nativitatem Christi annis cccxxxvii.

De Westphalis autem quod sit eadem gens cum Saxonibus nulli dubium; quod et lingua et similes indicant mores. Huic assertioni alludit quod et Beda in Martirologia, et etiam alii vocant Westphalos antiquos Saxones. Frisii quoque in Chronicis saepe vocantur inferiores Saxones, ut patet in Chronica Trajectensi et Chronica Hollandiae. Hoc idem testatur Bartholomeus Anglicus in libro de proprietatibus rerum dicens: quod incolae Frisiae Saxones nominantur. Et sic antiquitus tam Westphalia, quam Frisia solent vocari Saxonia a seniore fortasse fratre Saxone. Et quamquam hae gentes tam auctoritate Speculi Saxonum, quam traditione Frisonum (ut supra patuit) ex Asia venisse dicuntur, non tamen clare invenire potui, ex qua Asiae regione, provincia aut insula venerint. Is enim libellus de ortu Frisicae

gentis proprio sermone conscriptus dicit, hos tres fratres ex quadam insula Indiae cum omni sua cognatione et familia fuisse expulsos, atque navigiis ad has, quas nunc incolunt, terras venisse: quae verba volunt eos ex India venisse, non tamen dicunt eos ibidem originem traxisse. Et ideo pulchre alludunt opinioni superius dictae, quod videlicet de excercitu fuerint Alexandri magni et nihilominus ex Asia Graeciae magis contigua. Credendum quippe est, Alexandrum magnum (de cuius excercitu traduntur venisse) in omnibus provinciis et regnis divictis viros strenuos et potentes, quos in suo excercitu longo usu sibi fideles probavit, ipso recedente pro custodia reliquisse, ut populum noviter devictum ac subiectum a rebellione (quae facile oriri solet) compescerent. Inter quos hos tres fratres cum suis amicis uni aut pluribus Indiae praefecisse insulis. Qui mortuo Alexandro expulsi (ut plerumque fit) ab Indis rebellantibus, quum in Asiam ad suos redissent, eisque etiam eo, quod parti Alexandri (quia Graecus erat) nimium studuissent, odiosi essent effecti, inde ascensis navibus se fluctibus et vento committentes, ut novas sibi quaererent sedes, ad has venerunt terras. Et sic utraque editio potest esse vera, quarum una ex Asia, et altera ex India hos devenisse commemorant. Nam primo ex India ad Asiam, ac confestim ex Asia solventes versus Europam navigabant. Nec necesse est dicere, eos Graecam fuisse sobolem eo, quod de exercitu Alexandri magni venisse narrantur, ut vult Pius papa. Nam si Graeci fuissent, mansissent utique cum pace in patria sua, nec suis (ut existimo) odiosi fuissent propter Alexandrum, quum et ipse Graecus fuerat. Sed Alexandrum devicta Asia sumpsisse ex ea milites et duces auxiliares crediderim. Inter quos isti tres fratres cum sua familia forte fuerant, et quia nimia pertinacia et favore iuvarant et defenderant partem Alexandri, ideo post mortem eius etiam suis, qui inviti ab Alex-

andro in servitutem redacti fuerant, odiosi effecti sunt. Simile quippe Julius Caesar, Titus Livius, Suetonius, Cornelius Tacitus, caeterique clari auctores Romanos fecisse narrant. Qui quum orbem urbi subiicerent, de extremis Hispaniarum Galliarumque finibus novas sibi legiones auxiliares, postquam devicti atque subacti fuerant, semper conscripserunt. Et haec quidem de prima et vulgatiori editione dicta sufficiant. Porro alia editio, quae de origine Frisonum conscripta habetur, non multum ab his, quae dicta sunt, discrepat. Dicit namque decem naves ex Asia versus Europam, ut sibi novas quaererent sedes, emissas post multa maris pericula ad Hiberniae insulam primum applicuisse, ibique donatione regis terrae accepto habitationis loco, ad littus oceani tres mansisse naves, reliquas autem septem ulterius navigasse, donec ad ostium Amasis fluvii, ubi Oceano influit, pervenirent. Quem ingressae viderunt terram in utraque fluminis ora pinguem, habitatores vero aut paucos, aut nullos. Quare naves egressi possederunt terram et coluerunt; et processu temporis multiplicati numeroque crescentes dilataverunt terminos suos expulsis procul, si qui fuerant, terrae habitatoribus et vicinis, atque omnem terram in septem distinctis limitibus provincias, aut (ut patrio more loquar) Zelandias diviserunt. Et haec quidem discretus et benevolus lector facile cum superioribus concordare potest. Haec igitur sunt quae de origine Frisonum tam apud ipsos Frisones, quam etiam apud Saxones invenire potui.

Nunc restat dicendum contra opinionem quorundam dicentium, Frisones post captam Iherosolymam per Titum a Judaeis tunc venditis ac per orbem dispersis sumpsisse exordium. Inter quos invenio venerabilem patrem Reinerum Carthusiensem civitatis Coloniae virum prae caeteris de hac materia scribentibus doctrina et eloquentia insignem, qui elegantem tractatum de origine, laude et illustribus

viris gentis Frisonicae duobus doctoribus Groningensibus, scilicet domino Hermanno sacrae Theologiae professori ac ecclesiae sancti Martini pastori et M. Jacobo Spyck de Colonia doctori in medicinis etc. dicavit, in quo tractatu de orgine Frisonum sic incipit: Transeuntium (inquit) postulat ordo, ut ipsam originem Frisonum, quantum possibilitas ministrat, perquiramus, partim quod a venerabilibus viris audivi, partim quod in libris legendis didici. Circa annum Domini lxxvii, tempore Vespasiani imperatoris, duae gentes in orbe spectabiles valde humilitatae et afflictae fuerunt. Prima erat Hebraica, secunda Pictavica etc. Et postquam causam et ordinem afflictionis et destructionis praedictarum gentium ad longum supradictus auctor posuit, ad nostrum propositum sic subiungit: Cum igitur miseranda clades Hebraicam gentem sic attrivit, Titus misericordia motus duas phalangas neci subtraxit, et duas contratas (*) inhabitabiles in Almania tradidit eis, simul praecipiens, ne alibi morarentur, aut alicui populo cuiuscumque linguae aut nationis iungerentur. Dicunt nonnulli, quod Titus hoc fecit, ut mitiorem eis mortem inferret, quia suspicabatur, quod in illis locis, si tamen illuc pervenirent, non diu vivere possent, tum propter famem et miseriam quam sustinuerant in obsidione, tum propter locorum ineptitudinem, et necessariorum carentiam. Remotissima igitur peregrinatione cum iubilo grandi suscepta venerunt ad Alpes, i. e. montes niveos, ad quorum radices paene inhabitabiles deputata fuit prima turma supradictorum exulum. Et iste populus nunc Switensis vocatur, et terra ipsa Switia dicitur. Manentibus istis in terra hac montuosa, caeteri profecti sunt ad loca sibi deputata, videlicet ad littus Oceani Septentrionalis, quod extenditur ad confinia veterum Saxonum et novorum,

(*) *Contrata* s. *Contrada*, i. e. *regio*: vid. Vossius, *De vitiis serm. Lat.*, p. 191, et A. 802.

quasi ad dietas (†) duas in longum et unam quasi in latum. Fuit namque tunc terra ista valde aquosa, paludinosa, et ita tam propter fluctus et inundationes maritimas, quam piratarum incursiones periculosa, ut spes nulla videbatur posse ibi homines commorari, et praesertim propter frigus intensum flante Borea crebro in locis illis. Sed uti iam dictum est de Switensibus, sic et de istis constat factum. Quoniam amor vitae et labor improbus omnia vincit. Unde factis aggeribus contra fluctus maritimos, et fossis pluribus adaptatis ad exsiccandum sulcos, coeperunt animum erigere et confidenter procedere donec miserante domino mare compescerent et terram suis usibus aptarent. Dicta est autem terra haec deinceps vulgato nomine Frisia. Haec auctor supra dictus in forma verborum, multis tamen causa brevitatis (quae ad rem non pertinebant) praetermissis. Nunc igitur paucis huic opinioni aut magis errori respondendum est. An autem saepe dictus Reinerus de huiusmodi origine Frisonum primus fuerit auctor (quia ut ipsemet fatetur partim audita scripsit), et alii inde scriptores ipsum sint sequuti, an vero ipse hoc legendo didicerit, et sic alios sit sequutus, incertum habeo. Utcumque sit, constat tamen hanc opinionem esse falsam. Nam Cornelius Tacitus, clarissimus historicus, eques Romanus, qui tempore Titi et Vespasiani floruit, dicit xi lib. Augustae Historiae, quod natio Frisiorum sub divo Claudio imperatore per rebellionem clade L. Apronii coeptam infensa aut malefida datis obsidibus sedit apud agros a Corbulone descriptos. Et idem lib xiii memorat, Frisios sub Nerone imperatore novos invasisse agros. Et hi duo imperatores praecesserunt destructionem Iherosolymae, et ipsos Titum et Vespasianum; nam Nero imperator primo misit Vespasia-

(†) *Dieta*, vox incertae significationis, videtur notare *spatium itineris unius diei:* quem admodum enim ex *contrée* factum *contrata*, ita *journée* redditum videtur per *dieta*.

num cum exercitu ad destruendam Iherosolymam. Et lib. xx Tacitus dicit, Frisios transrhenanam esse gentem, quos adiunctos Caninefatibus ipso imperante Vespasiano memorat rebellasse Romanis. Et hoc ante captam Iherosolymam et dispersionem Iudaeorum. Ex his liquido colligitur, Frisones diu ante tempora Titi atque destructionem Iherosoymae et armis et viribus claruisse, et terram, quam nunc incolunt, possedisse. Insuper et illud etiam ex praedictis auctoribus probatur esse falsum, quod praedictus Carthusiensis et quidam alii dicunt, Frisones semper usque ad tempora Caroli magni sub gravi vixisse servitute, et nec armis nec bellis propter duram et diuturnam servitutem fuisse aptos aut assuetos. Si enim tam imbelles tamque despecti fuissent Frisones, quomodo, rogo, tam saepe vicinas impugnassent nationes et Romanis, qui toto tunc fere dominabantur orbi bellum inferre audissent?

De divisione terrae Frisiae et mutatione nominum provinciarum.

CAP. IV.

Friso igitur primus gentis Frisiae conditor, a quo et nomen et genus traxerunt, sortitus (ut dictum est) Frisiam, divisit eam in septem partes septem filiis suis, quas partes Zelandias appellavit. Prima ergo Zelandia fuit occidentalis Frisia, quae est ad occidentem Flevi fluminis, seu maris meridionalis, videlicet Medenblick, Hoorn, Wiring, Tessel, etc. usque Egmondam. Secunda est Westergo a Stauria usque Lewardiam, nam ibi mare mediterraneum solet influere. Tertia est Oestergoe, quae incipit ab Aula Dei & tendit usque Lavicam fluvium, qui vulgo die Lauwerts dicitur,

et includit etiam Opsterlant & Smellingerlandt. Et hae duae, videlicet secunda et tertia provinciae, seu (ut patrio more loquar) Zelandiae antiquis adhuc gaudent privilegiis ac libertatibus, nec aliquem nisi solum Romanum Caesarem cognoscunt dominum. Veruntamen multa et pene infinita corporum ac rerum perpessi sunt damna pro hac tuenda libertate, pugnando contra exteros principes et maxime Hollandiae Comites, qui paene omnes suae ditioni eos subiicere conati sunt. Quarta Zelandia est Stellingwerf, Schoterwerf, tota Drentia, Geethoorn, Cuunre, cum omnibus adiacentibus terris usque Vullenhoe inclusive. Et hanc Zelandiam Episcopi Traiectenses totam sibi subiecerunt, exceptis Stellingwerf et Schoterwerf cum inferioribus silvis, qui multis ac gravibus fortissime resistentes impugnationibus Episcoporum Traiectensium adhuc cum praedictis duabus Zelandiis remanent. Quinta Zelandia est omnis terra intra Lavicam et Amasim fluvios inclusa, et usque ad Drentiam atque Westphaliam se extendens. Et haec quidem Zelandia nulli externo paret domino, sed tamen civitati Groningensi subiecta est, quae in medio fere terrae sita, omnem illam Zelandiam tributariam fecit excepto Reiderlant, quae comiti paret Emedensi et Westerwold. Sexta Zelandia est ad orientem Amasis fluvii, scilicet Emeda, Aurick, Norden cum suis attinentiis fere usque Visurgum fluvium. Et hanc nobilissimam et ditissimam Zelandiam Focko Wkis et sui successores sibi paulatim subiecerunt. Quorum primus fuit Joncker Wlrick, qui factus est comes a Frederico tertio anno domini mcccclxiv. Et vocatur Comes Orientalis Frisiae. Septima Zelandia est Rosterga cum omnibus suis confiniis usque Ditmariam, quae est ultra Weseram. Et haec Zelandia multis paret dominis et principibus, qui singuli sibi partem subiecerunt excepta Ditmaria, quae sola adhuc libera manet. Multas tamen et graves toleravit impugnationes a rege Danorum. In singu-

lis igitur praedictis Zelandiis Friso unum de suis collocavit filiis. His igitur septem Zelandiis sic occupatis, ipse Friso cum filia sua Wimeth perrexit in Wynsera-land quam terram nomine filiae suae sic vocavit. Ex ipsa Wymeth progeniti sunt Hadelrici, inde Hadingerlandt, et Ditmarici, inde Ditmerschelandt et Kadeleni, inde Kedingelandt. Isti propagantes et dilatantes terminos suos pulsis habitatoribus terrae occupaverunt terram usque Staden et Hannover. Haec est terra et possessio Frisonum cum terminis suis, quae a fine Rheni, ut dicit Bartholomeus in libro de proprietatibus rerum, incipit, et mari Danico terminatur. Cuius singulae licet insulae, seu Zelandiae, propriis et specialibus discretae sint nominibus, omnis tamen et tota haec terra uno nomine Frisia nuncupatur. Cornelius Tacitus et caeteri veteres historici Frisiam bifariam divisere, duplicem esse dicentes. Maiorem videlicet et minorem. Minorem vero Danis constat proximam esse, sed ubi incipiat aut finiatur non facile dixerim, et ideo iudicio eorum, qui illius terrae maiorem habent notitiam, relinquo definiendum. Id tamen affirmare non dubito, quin Frisiae terminos vel majores aliquando fuisse vel minores, eo quod ante conversionem Germanorum ad sacram Christi fidem non solum Frisiis, sed omnibus fere Germanis peculiare erat, aut suos dilatare (expulsis vicinis) terminos, aut prioribus relictis sedibus vel praedae dulcedine, vel alieni soli fertilitate ducti, novas quaerere. Et sic supervenientibus fortioribus pauciores suis facile pellebantur agris. Quod et Frisiis evenisse, atque ipsos aliis fecisse, non raro apud veteres legimus. Nam refert Cornelius Tacitus, eques Romanus atque nobilis historicus, quod tempore Neronis Caesaris Frisii auctore Verrito et Malorige agros vacuos et novos insederunt. Iamque fixerant domos, semina arvis intulerant, atque ut patrium solum exercebant. Tunc Dubius Avitus accepta a Paulino provincia minitando vim Romanam nisi abscede-

rent Frisones veteres in locos, aut novam sedem a Caesare impetrarent, perpulit Verritum et Malorigem preces suscipere. Profectique Romam (*). Nero iussit Frisios agris decedere. Sed illis aspernantibus eques auxiliaris repente immissus necessitatem attulit, captis caesisve qui pervicacius restiterant. Eosdem agros Ansibarii occupavere, qui pulsi antea a Chaucis (ut idem refert) suis fuerant sedibus. Haec ille ubi supra. Et quidem plura his similia apud veteres inveniri posse non dubito, nisi priorum temporum scriptores, ut Ptolomeus, Strabo, Tacitus et plures alii, qui res Germanicas vel eius situm diligenter scripserunt, valde obscuram ambiguitatem praeberent legentibus, ita ut admodum difficile sit discernere et cognoscere, quae antiquitus insulae aut provinciae Frisici fuerant iuris et termini. Quod inde evenisse constat, quia non modo in Germania, sed in universo paene orbe, regnorum, provinciarum, insularum, civitatum et locorum nomina penitus sunt mutata. Insuper et regnorum et provinciarum termini multam acceperunt varietatem, ita ut antiqui populorum situs aut prorsus ignorantur, aut cum magna difficultate inveniuntur, quibus sive hominum voluntas, sive rerum eventus nomina penitus diversa indidere. Hoc igitur viri attendentes docti, et multarum rerum cognitione periti, laboraverunt hanc tollere ambiguitatem scribentes tabulas super Cosmographiam Ptolomei et divi Caesaris Commentarios, ut prisca illa regionum et civitatum nomina cum his, quibus nunc vocantur, nominibus concordarent.

Exercuerunt quidem propterea ingenia sua, et non parum (ut verum fatear) profecerunt ex fluminum circumstantiis, quae magna ex parte in Germania antiqua retinuerunt nomina, coniicientes, multa, quae obscura prius erant, posteris plana facientes. Non tamen in omnibus,

(*) Add. *civitate donati sunt.*

tos, et adhuc forte esse Frisones, licet illa nunc nomina abolita sint.

Haec breviter extra propositum occasione terminorum & mutationis nominum insularum terrae Frisiae dicta sunt. Nunc ad nostrae historiae ordinem revertamur.

Prima servilis subactio Frisonum per reges Daniae.

CAP. V.

Cum itaque Frisia certis terminis et limitibus esset divisa, et singulae Zelandiae seu insulae coli et inhabitari a filiis Frisonis & populo qui secum venerat (licet numero essent pauci) coepissent, praecepit eis Friso pater, ut non constituerent sibi regem, nec unquam externo se subiicerent domino, sed liberi et in libertate permanentes terram suam per iudices ex se ipsis electos gubernarent. Quod et multis annis cum ingenti gloria et magno rerum temporalium incremento servaverunt. Donec multiplicati crescerent in gentem magnam et robustam, ita ut inciperent timori esse regibus, ducibus, et tyrannis vicinis, contra quos quotidie pugnantes dilataverunt terminos suos. Post multos itaque dies paternae immemores traditionis, ac pessimo inito consilio, communi statuerunt decreto mittere legatos ad regem Danorum, ut veniens dominaretur eorum. Venientes itaque legati et qui missi fuerant ad regem dixerunt: Iudices et populus septem Zelandiarum Frisiae non habentes regem neque dominum miserunt nos te rogantes, ut eos sub tuo suscipias dominio ac protectione, Danicisque eos instituas legibus. Quo audito rex gavisus est valde, prudenter tamen dissimulans laetitiam, ne a legatis notaretur. Volve-

rat quippe rex animo diu, quonam pacto aut occasione dominium posset Frisiae obtinere, ac suae eos subiicere servituti. Nunc igitur oportunum tempus nactus respondit legatis: Optime (inquit) vos sub mea suscipiam protectione, bonusque vobis ero dominus. Et continuo cum eis misit unum de principibus suis animo et genere clarum, qui populo et terrae praeesset Frisiae, ipse quantocius subseculurus. Et ut ipse iudex inter Frisones maioris esset auctoritatis, dedit ei sororem suam in conjugem. Qui pergens cum legatis exceptus est a iudicibus et maioribus septem Zelandiarum Frisiae in Groenenberch, seu viridi monte (ubi nunc est Groeningen), congregatis. Nec multo post etiam ipse Danorum rex venit ad Frisiam, ad quem omnibus septem Zelandiis Frisii convenientes se et sua eius subiecerunt imperio. Quo facto constituit eis leges, secundum quas viverent, tributum ac alia eis (ut moris est) imposuit onera Frisonibus minus grata.

Deinde constructa iudici suo in Groenenberch domo, ipse ad propria reversus est. Et haec quidem fuit prima subactio seu servitus, quam unquam Frisones sunt experti, sed non nisi ad medium annum duravit. Nam quum rex ad propria redisset, et iudex regis vicarius Frisones ad Danicas leges observandas, atque tributa solvenda compelleret, alios pecuniaria, alios corporali plectens poena, qui regiis non parebant decretis, indignati Frisii (ut pote magis dominari, quam servire assueti) convenerunt contra iudicem a rege eis praefectum, et captum amputatis manibus submerserunt in mari Danico. Deinde pergentes in Groenenberch, ubi manere consueverat, eius eduxerunt uxorem et navi impositam illaesam remiserunt in Daniam ad regem, simul ei mandantes, ut, quae suo contigerant viro, regi nunciaret. Insuper nec Frisones illi diutius subesse, sed in pristina velle vivere libertate. Quae veniens ad regem fratrem suum cuncta, quae Frisii in virum exercuerant, et

quae ei nuntianda commiserant, nec non et se a viro suo concepisse regi indicavit. Qui audiens Frisones sibi rebellantes et iudicem suum crudeliter ab eis interemptum, consternatus est pariter et iratus valde; et convocatis omnibus regni sui principibus et consiliariis narravit eis rebellionem Frisonum et mortem mariti sororis suae iam gravidae, quem Frisonibus praefecerat, et quod valida manu decrevit intrare Frisiam, atque ultionem de eis sumere condignam, eosque denuo suae subiicere servituti. Quem sapientes eius et principes a proposito avertentes consuluerunt, Frisiis in praesentia minime bellum inferendum, utpote accensis nunc animis pro libertate ac rebus tuendis, et pugnare et mori paratis, sed aliud potius ac magis oportunum exspectandum tempus ad hoc tam arduum tamque periculosum perficiendum negotium. Quorum consiliis aequiescens rex cessavit ab incepto. Post haec expleto tempore peperit soror regis, uxor judicis Frisonum, filium elegantis formae. Quod cum Frisiis nuntiatum esset, non defuere inter eos, qui vaticinando praedicerent, per hunc omnes Frisios gravi servitutis iugo fore opprimendos. Crescebat igitur puer et omnes coaetaneos suos animo et fortitudine superabat. Factum est ergo quinto decimo aetatis suae anno, ut nulli etiam fortissimo viro quacumque in pugnandi arte et virtute inveniretur inferior. Quam ob causam multis erat molestus, nunc hunc, nunc illum sola dextera manu ex petulantia (quae talibus inesse solet) humi prosternendo. Hoc cum crebrius faceret, contigit, ut quidam adolescens ex coaetaneis suis, quem forte offenderat, non diutius talia ferens, improperavit illi dicens: Quid (inquit) gloriando in fortitudine tua nos inquietas, et es onerosus; si est tibi animus, si fortitudo, vade et ulciscere patrem tuum, quem Frisii amputato capite proiecerunt in profundum maris. Quo audito obstupuit adolescens, et demisso capite ruboreque perfusus obmutuit. Et sic attonitus, atque fu-

rans, ingressus ad matrem suam, sciscitatur eam, quonam mortis genere et ubi pater suus occubuisset. Ad cuius verba territa mulier blandis ambiguisque verbis quaerebat subtiliter occultare veritatem, timens ne filium cum viro perderet. Quod intelligens adolescens minatus est matri dicens: Nisi mihi quantocius omnem rei aperueris veritatem, meo te mucrone interficiam. Quare mater necessitate constricta, ordinem rei gestae (licet invita) illi aperuit. Quod audiens adolescens, confestim ingressus ad regem, avunculum suum, cecidit ad pedes eius. Quem rex iussit surgere dicens: Quid vis, aut quid habes novi? Cui adolescens: Intellexi Frisones rebellasse contra te, et iudicem a te eis constitutum, quem fuisse meum patrem constat, ab eis interemptum. Quousque igitur, domine mi, rex, dissimulabis facere expeditionem contra Frisones, ulciscique iniurias tuae maiestati ab eis illatas? Quod tu si facere nolueris, meum certe erit, etiam si mori me oportuerit, et tuam iniuriam, et indignam patris mei necem vindicare. Ad quem rex volens eum a proposito avertere, desiste, ait, infelix huiusmodi aggredi velle expeditionem. Si enim id quod decrevisti, effectui mancipare attemptaveris, scito te procul dubio ab eis interficiendum; et tunc melius tibi esset, si natus nunquam fuisses, quam tam miseram subire mortem. Cui adolescens, iuvenili fervens animo, constanter respondit: Non (inquit) domine mi, rex, uti tu dicis, erit, sed tu tantummodo mihi procurabis navem et viros comites, nauticae artis gnaros, et ego rebelles tibi subiugabo Frisones, ignominiosamque ulciscar patris mei mortem. Tunc rex videns adolescentem nullis aut minis, aut blanditiis, a concepto posse averti, dedit ei quae postulavit et dimisit. Qui vento marique se committens, navigavit, donec circa viridem montem seu Groenenberch veniret. Ibique fixis anchoris ad littus permanebat. Erant eo tempore iudices septem insularum seu Zelandia-

rum Frisiae ibidem in Groenenberch forte congregati. Qui egredientes ad navem scire volebant, unde veniret, quidve novi apportaret. Quos adolescens ad se venire conspiciens, sciensque quod terrae iudices essent, comiter ac benigne eos in navem suam cum dolo excepit, atque potum fortissimum, quem ex industria ad hoc secum assumpserat, eis abunde ministravit. At illi potus ignorantes potentiam inebriati sunt, et gravi oppressi somno. Quos ille potu somnoque obrutos videns, levatis anchoris solvit navem, atque ferreis mancipatos vinculis, versus Daniam navigando advexit. Qui ante regis Daniae conspectum adducti, aut crudelem subire mortem, aut Frisiam totam subiicere Danicae servituti, coacti sunt. Et sic Frisia a rege Daniae subacta est, et afflicta valde, gravique et intolerabili oppressa servitute. Sic patet quod prima servitus Frisiis ex oriente a Danicis regibus fuit. Verum quomodo ab hac prima servitute fuerint liberati, aut quam diu duraverit, ad liquidum invenire minime potui. Nam hoc falsum esse, et vitio vel errore scriptorum appositum constat, quod in quibusdam Frisonum chronicis huic praedictae subactioni continuo subnectitur de adventu S. Willebrordi ad Frisiam, quasi per eum hac fuerint servitute liberati. Nam si haec fuit prima subactio, Frisiis unquam a Danicis regibus illata, constat profecto hanc longe ante dominicam incarnationem fuisse factam, quod auctoritate probatur Saxonis grammatici ii^{o}. libro Chronicae Danorum, ubi dicit, Frisones primo fuisse subactos a Frotone i^{mo}, rege Danorum ix^{o}. Deinde libro viii^{vo} eiusdem chronicae dicit, Christum Jesum fuisse natum sub Fortone iii^{o}, qui xxx^{us} fuit rex Danorum. Unde constat xxi fuisse Danorum reges inter hanc subactionem et Christi nativitatem. Et sanctus Willebrordus primo ad Frisiam venit anno domini vi^{c}xc. Unde non est credendum, Frisones tunc temporis tam barbaros, tam feros atque libertati assuetos, tam

diu regi serviisse Danorum. Unde hoc indubitanter est tenendum, quod Frisones ab initio, etiam antequam Christianam fidem susciperent, semper alterna vice nunc ab aliquo vicinorum principum subacti servierunt, deinde iterum post aliquot annos excusso servitutis iugo libertatem vindicarunt. Quod in praesentem usque diem ipsis quasi peculiare et proprium esse dinoscitur. Huic meae opinioni astipulatur Cornelius Tacitus clarissimus historiographus, qui xiii° lib. Augustae Historiae dicit, Frisones tempore Neronis principis novos et vacuos agros occupasse auctore Verrito et Malorige, qui nationem eam regebant. Et subiungit, in qua (videlicet Frisica natione) tum Germani regnabant. Haec ille. Ex quo dicto illa duo, quae supra posui, facile probantur esse vera. Primum quod Frisones non semper et continuo a prima subactione vixerunt sub Danica servitute usque ad tempora Sancti Wilbrordi, aut Caroli magni, ut quidam dicunt. Quia iste dicit, quod sub Nerone imperatore Germani super Frisones regnabant. Ergo expulsi tunc erant Dani, qui nunquam inter Germanos computantur. Secundum, quod ex praedicto auctore probatum est, quod Frisones non semper et continuo ante tempora Caroli magni aut Germanis, aut Danicis subiecti fuerunt regibus, ut multi falso aestimant. Quod denotat hoc adverbium tum sive tunc, cum dicit, in qua tum Germani regnabant. Si enim Frisones semper et continuo sub Danica aut Germanica fuissent servitute, non opus fuisset addere tum, sed satis fuisset dicere: In qua Germani regnabant, omisso tunc. Firmum ergo et indubitanter verum videtur, quod supra posui, quod videlicet Frisones ante tempora Caroli magni, sicut etiam postea usque in praesentem diem, aliquando propriam regebant terram, aliquando aliis parebant nationibus, vel ab illis violenter oppressi et subacti, vel illos ultro et sponte eligentes, se earum subiiciebant imperio. Deinde iterum vel odio

servitutis, vel amore libertatis, pulsis extraneis, propriam per suos iudices gubernabant terram.

De origine Britanniae, Hollandiae, Gelriae, et civitatis Trajectensis.

CAP. VI.

De origine antiquorum Britannorum narrat historia, quod Ascanius, Aeneae Troiani filius, ex filio suo Silvio nepotem habuit nomine Brutum. Hic matrem suam nascendo, patrem vero venando casu occidit. Cuius parricidii causa eum tam exosum parentibus reddidit, ut de Italia pulsus ad Graeciam fugeret. Ubi exul cum esset, tanta coepit probitate pollere, ut confluentibus ad eum Troianis, qui ibi captivi habebantur, eorum sortiretur ducatum. Quorum fretus multitudine et animatus consilio, petiit a Pandroso, rege Graecorum, libertatem eundi ad alias nationes. Rex vero ira permotus, bello eos conterere voluit, sed nequaquam potuit. Nam victoria adeo Bruto prospera venit, ut plurimis de exercitu regis peremptis, ipsum regem caperet. Regi autem mortem minatus, nisi rogantibus annueret, exegit ab eo filiam suam in coniugium, et auri atque argenti copiam multam, naves, frumentum caeteraque marino itineri necessaria. Quaesitis igitur ex regis imperio plus quam ccc navibus ex omni genere rerum oneratis, Troianis quoque auro et argento plurimo ditatis, Brutus regis filiam accepit, et salutato rege aequoreum iter aggressus est, et pervenit ad insulam nomine Albion, quae a solis gigantibus inhabitabatur, cum quibus saepe certamen habuerunt. Tandem Brutus de eis triumphans, eos inde effugavit, et Britanniam maiorem, quae nunc Anglia

dicitur, a suo nomine Britanniam vocavit, quae Albion dicebatur. Haec Vincentius lib. xvii° Speculi Historialis.

Gigantes autem quos Brutus ab Albio fugavit, navigantes per mare versus orientem (ut dicit Chronica Hollandiae sine certo autore), quaesiverunt aequoris flumina, ut introitum ad terras possidendas invenirent. Tandem venerunt ad terram inferiorum Saxonum, qui nunc Frisones dicuntur, et bellaverunt contra eos; sed Frisones superiores facti multos ex illis prostraverunt. Caeteri vero retrocedentes venerunt in eam terram, quae nunc Hollandia est, et occupaverunt eam, dictique sunt Slavones. Aedificaverunt deinde circa Mosam fluvium castrum fortissimum, quod ex nomine suo Slavenburch, quasi castrum Slavorum appellaverunt. Qui autem ultra Mosam habitaverunt, ubi nunc est Dordracum et Gorckum, Wilti dicebantur. Transito deinde Mosa flumine occupaverunt etiam Zelandiam, et quia in mari victum quaerebant, dicti sunt Zelandi. Slavorum autem terra dicta est postea Hollandia a multitudine lignorum, sic dicta per sincopam quasi Holtlant. Erat enim silva praegrandis a Mosa flumine et ab habitatione Slavorum usque ad Frisiam, quae illo tempore incepit circa Frongheest ab occidentali parte, plena feris et bestiis indomitis. Hi autem Slavi quandoque pugnaverunt contra Frisones, quandoque vero invicem confoederati alias infestabant nationes. Haec Chronica Hollandiae.

De primis cultoribus terrae Gelriae nihil specialiter legi. Tempore enim Iulii Caesaris omnis illa terra, quae nunc Gelria et Clivis, sed et pars diocesis Monasteriensis, dicta est Sicambria, et incolae eius Sicambri. Verum illa pars Gelriae, quae nunc Betua dicitur, et pars Hollandiae illi proxima, videlicet Zuit-Hollant, dicta est Batavia, et inhabitatores eius Batavi. Quomodo autem haec terra nunc dicta sit Gelria, legi rationem in quadam chronica sic: Tempore Caroli Calvi imperatoris, anno videlicet Domini viiiclxxviii,

fuit in eo loco, in quo nunc est oppidum et castrum Gelriae, atque in confinibus eius, quoddam pestiferum animal, assidue clamitans Geldre Geldre, quod homines et animalia horribiliter et letaliter devastavit. Ob cuius terrorem homines illius terrae relictis aedibus fugere cogebantur. Erat autem ibi tunc temporis quidam nobilis dominus dictus dominus de Pont, a dicto animali magna perpessus damna, qui duos filios fortissimos et imperterritos habuit, scilicet Wichardum et Lupoldum, qui ipsam crudelissimam bestiam nocturno tempore armati inquirentes, ac lumine oculorum velut ignis flamma stillantium deprehendentes, in nomine Domini aggressi sunt et occiderunt. Quapropter praedicti fratres ab universis illius terrae incolis in principes sunt sublimati, atque tutores seu praefecti Gelriae nuncupati. Unde et iidem fratres postmodum in eodem loco, quo ipsum animal occiderunt, praesidium statuentes, illud ex ipsius animalis vocabulo Gelriam in memoriale sempiternum nuncupaverunt. De quo et tota illa terra nomen sortita est. Fuit haec terra multis annis comitatus, sed anno Domini mccccxxxix, xxi die Martii comitatus Gelriae mutatus est in ducatum, Francfordiae per imperatorem Ludovicum, praesentibus electoribus, et Reinaldus comes factus est primus dux Gelriae. Ab his comitibus et ducibus Frisonum nonnumquam est impugnata libertas, ut infra suis in locis dicetur. Deinde anno Domini mccccxxiii Reinaldo praedicto duce Gelriae, sine prolibus defuncto, nobiles et civitates terrae Gelriae elegerunt in dominum et ducem Gelriae Arnoldum filium Johannis domini de Egmonda, cuius mater erat soror Reinaldi praefati ducis Gelriae. Genuit autem Arnoldus dux Gelriae Adolphum. Adolphus vero Carolum qui hodie dux est Gelriae. Iste Adolphus dux Gelriae captivavit Arnoldum patrem suum anno Domini mcccclxv et in custodia posuit annis vi. Quod moleste ferens Carolus Burgundionum dux, misit literas et

nuntium ad ducem Gelriae, ut festinaret venire ad eum, responsurus de quibusdam damnis per ipsum duci Clivensi et Wilhelmo domino de Egmondt patruo illatis. Venit ergo Adolphus dux Gelriae ad Carolum in Hesdin in Artoys. Ad quem Carolus: Non (inquit) vocavi te, sed ducem Geldriae. Cui Adolphus: Me (inquit) terra mea habet pro duce Gelriae. Ad quod Carolus: Vivente (inquit) patre tuo, ego te non habeo ducem Gelriae. Et cum hoc dixisset, iussit eum custodiri. Tunc Adolphus misit ad castellanum de Bueren, ubi Arnoldus custodiebatur, ut mitteret ad ipsum Arnoldum ducem Gelriae. Ad quem quum venisset, motus Arnoldus ingratitudine filii sui et beneficio Caroli, exheredato filio suo, vendidit Carolo duci ducatum Gelriae et comitatum Zutphaniae pro xciim aureorum florenorum; anno Domini mcccclxxii in profesto nativitatis Mariae virginis, resignans illi omnia iura sua, quae super ducatu Gelriae habebat, homagium illi continuo praestans. Et fuit id malorum multorum causa et initium in Germania. Nam Carolus Burgundionum dux, mortuo Arnoldo duce Gelriae anno Domini mccccclxxiii, cum exercitu ingressus Gelriam, totam illam terram igne et ferro vastavit, et afflixit valde, civitatesque et castra paene omnia obtinens, Gelriam totam post multorum necem sibi subiecit. Positisque in omnibus civitatibus et castris praesidiis, assumpsit secum Carolum filium Adulphi adhuc puerum, et reversus est in Brabantiam. Deinde interfecto Carolo Burgundionum duce ab Helvetiis in ducatu Lotharingiae ante Nansi, Maria unica eius filia solutum a vinculis Adolphum Gelriae ducem praefecit exercitui Morinorum, ut cum eis contra Francorum regem pugnaret. A quo in eodem pugnans proelio fortiter interfectus est. Tunc Maria Carolum Adolphi filium unicum diligens cum magna cura fovit et educavit, a quo et filium suum unicum Philippum, postea Burgundiae ducem, de

sacro fonte levari voluit. Sed mortua Maria, Maximiliani postea Romanorum regis uxore, Carolus dux Gelriae fugit ad Gallos, unde maternum traxit genus. Deinde anno Domini mccccxcii Carolus, auxilio regis Francorum et suorum amicorum, reversus est in Gelriam terram et patriam suam, et cum gaudio magno susceptus est ab incolis, et paulatim recuperavit castra et civitates suas, expulsis aut fugientibus adversariis. Et constituit proelia multa contra duces Iuliacensem et Clivensem et alios, qui iuverant ducem Burgundiae contra terram suam. Fuit et bellum inter ipsum et duces Burgundiae usque in praesentem diem, et multiplicata sunt mala non solum in Gelria, sed et in omnibus terris et regionibus circum Gelriam, et adhuc nondum est finis. Haec pauca occasione ducatus Gelriae hic dicta sufficiant; infra vero suis in locis plenius de his dicemus.

De ducatu autem Clivensi nihil relatu dignum vel legi, vel audivi. Ne tamen neglecti aut praetermissi (quia vicini sunt Frisiis) a nobis videantur, referam quod legitur in libro de rebus et temporibus memoralibus, ubi dicitur, quod mortuis de castro Hussen omnibus ad id pertinentibus, una sola puella, filia comitis Clivensis, superstes fuit, iam nubilis et multum speciosa. Quae quodam die iuxta flumen Rheni prope Hussen cum puellis et militibus ambulans, vidit cygnum in cathena argentea trahentem navem ad littus, et in navi juvenem venustissimum. Quo littus ascendente cygnus navem abduxit, et juvenis in castro colligitur et honeste tractatur. Tandem puella gratiis eius capta, sibi matrimonialiter copulatur, interposita tamen pactione, ne unquam quaereret ab eo, quis esset, aut unde venisset. Generant filios et filias. Sed puella tandem vel oblita, vel de eius amore confisa, unde venerit, sciscitatur. Qui respondit: Sicut dixi, a modo me habere non poteris. Ad littus ergo, unde venerat, regreditur, et a

cygno cunctis videntibus navi recipitur et abducitur. Et sic progenies comitum de Clive fuit reparata, et usque hodie in omnibus munitionibus suis cygnum habent generis sui monimentum. Haec ubi supra. Et fuit terra Clivensis comitatus usque ad tempora Sigismundi imperatoris, qui inde fecit ducatum anno Domini mccccxvi, etc.

Restat nunc de civitate Traiecto dicendum. De cuius origine dicit Chronica Traiectensis, quod tempore Neronis imperatoris omnis innocentiae et iustitiae persecutoris, qui coepit regnare anno post Domini nativitatem lv, proscripti sunt ab urbe Roma duo senatores, Granus videlicet et Antonius, cum omni familia sua. Granus veniens in Galliam Belgicam ad locum, ubi invenit aquas calidas, condidit ibi munitionem, quam ex nomine suo et aquis ibidem inventis appellavit Aquisgranum, et habitavit illic. Antonius vero ulterius descendens, fundavit civitatem, ubi nunc est Traiectum, anno lxv post nativitatem Domini, et vocavit eam ex nomine suo Antoniam, quae duravit annis cxxi. Deinde anno Domini clxxxvi Wilti, qui nunc Hollandi, incursione sua destruxerunt Antoniam, et aedificaverunt ibi castrum, nomine suo dictum Wiltenburch. Sed postea Dagobertus rex Franciae, qui coepit regnare anno Domini vi^cxxxiii, devictis Frisonibus, Wiltis et Slavis, aedificavit castrum validissimum in loco, quo steterat Wiltenburch, et imposuit ei nomen Traiectum, a traiectione rerum, quae illo in loco per Rhenum fluvium fiebat, sic dictum. Haec pauca de terris circum Frisiam iacentibus dicta sufficiant; nunc nostram Historiam prosequamur.

Quomodo Frisones et Saxones Britanniam, quae nunc Anglia dicitur, pulsis incolis possederunt.

CAP. VII.

Anno Domini ccclxvii (ut narrat venerabilis Beda lib. i, historiae Anglorum) Maximus in Britannia imperator creatus, sumpto secum ex Britannia omni robore Romano, omnibusque ad bella aptis, in Galliam transiit, Gratianum Augustum occidit, Valentianum Augustum Italia expulit, et tandem ipse a Theodosio occisus est. Et per hoc Britannia omni armato spoliata milite praedae tantum patuit, utpote omnis bellici usus ignara. A Pictis enim et Scotis afflicti, coacti sunt Romanorum petere auxilium. Mox missa est legio, quae cum hostibus congressa, in fugam convertit eos. Reversa autem legione in Italiam, reversi sunt hostes in Britanniam. Iterumque redeunte legione fugerunt hostes etc. Sed cum secundario (*) recesserunt Romani sine spe redeundi, gravius quam ante irruerunt hostes praedicti. Placuit igitur omnibus Britannis cum suo rege Vurtigerno, ut Saxonum gentem de transmarinis partibus in auxilium vocarent. Igitur anno Domini ccccxlix, secundum eundem Bedam lib. i, de gestis Anglorum cap. xv, Saxonum gens invitata a rege Vurtigerno praedicto, Britanniam tribus longis navibus advehitur, et in orientali parte insulae Britanniae, iubente eodem rege, manendi locum, quasi pro patria pugnatura, re autem vera hanc expugnatura suscepit. Inito ergo certamine cum hostibus, qui ab Aquilone ad aciem venerant, victoriam sumpserunt Saxones. Quod ubi domum caeteris Saxonibus est nuntiatum, simul et insulae Britanniae fertilitas et segnities Britonum, mittitur confestim eo classis prolixior armatorum

(*) i. e. secunda vice.

ferens manum fortiorem, quae praemissae adiuncta cohorti exercitum invincibilem fecit. Susceperunt ergo Saxones, qui advenerant, locum habitationis inter Britannos ea conditione, ut hi pro patria, pace ac salute militarent contra adversarios, illi militantibus debita stipendia conferrent. Advenerant enim de tribus Germaniae populis fortioribus, Saxonibus, Anglis et Wiltis. Duces fuisse perhibentur eorum primi duo fratres Hengist et Horsa. Erant enim filii Wuetgisli, cuius pater Witta, cuius pater Vecta, cuius pater Voden, de cuius stirpe multarum provinciarum regium genus originem duxit. Hi populi grandescentes in insula, pulsis longe hostibus, in Britannos arma vertere incipiunt, et civitates agrosque depopulantes ab orientali mari usque ad occidentale, nullo prohibente, suum continuaverunt incendium. Ruebant aedificia, praesules cum populis flammis absumebantur et ferro. Alii fame confecti manus hostibus dabant, et pro accipiendis alimentorum subsidiis etiam aeternum servitium subituri etc. Istis sic peractis et Saxonibus ad suum angulum reversis, Britanni emergentes de latibulis, quibus abditi fuerant, duce Ambrosio Aureliano, qui solus Romanae gentis profatae tempestati superfuerat, provocant Saxones ad proelium, et nunc hi, nunc illi vincebant. Haec Beda ubi supra. Licet Beda hic Frisones non nominaverit, sed tantum Saxonicam gentem, qui Britanniam invaserint, tamen idem alio loco etiam Frisones et alias Germaniae nationes dicit invasisse Britanniam, quae nunc Anglia dicitur. Unde eiusdem supra dictae historiae lib. iv cap. x dicit: Egberecht famulus Christi et sacerdos, inito opere Apostolico, verbum Dei gentibus, quae nondum audierant, evangelizare proposuit. Quarum in Germania plurimas esse noverat nationes, a quibus Angli vel Saxones, qui nunc Britanniam incolunt, genus et originem duxisse noscuntur. Sunt autem Frisones, Rugii, Dani, Huni, An-

tiqui Saxones, Boructuarii. Haec Beda. Hoc idem testatur beatus Marcellinus in legenda sancti Swidberti episcopi de eodem Egberto sive Egberecht sic scribens: Quod ipse sitiebat et affectabat salutem omnium hominum, et praecipue paganorum Frisonum et Saxonum, eo quod Angli ab ipsis propagati sunt. Ex his auctoritatibus clare liquet, Anglos, qui nunc Britanniam sive Angliam incolunt, non solum a Saxonibus, sed etiam a Frisonibus esse ortos. Et hoc quo ad Frisones sufficiens habet fidei argumentum, quia usque hodie in Anglicana lingua plura miscentur verba Frisonica. Quorum unum ponit Beda, libro v praedictae Historiae capite ii, in haec verba: Joannes, inquit, Hagulstadensis episcopus dixit muto, cui loquelam reddiderat: Dic aliquod verbum, dicito (inquit) ge, ge, quod est lingua Anglorum verbum affirmandi et consentiendi, id est etiam. Haec Beda. Porro in Chronica Leidensi legitur, Hengistum et Horsam, quorum superius meminit Beda, fuisse reges Frisonum. Et quia planius in his Chronicis leguntur ea, quae Beda in superioribus posuit obscurius, nec multum ab eo discrepant, non pigebit illa, quae ibidem habentur de hac materia, pro oblectatione legentium hic inserere.

Quomodo Hengistus et Horsa Reges Frisonum venerunt in Britanniam et expulsis aut interfectis Britonibus possederunt eam.

CAP. VIII.

Anno Domini ccccxlviii ex Germania in exilium pulsae tres longae naves, in quibus erant Hengistus et Horsa frater eius. Quos rex Britanniae Voltingranus (secundum

Bedam Vurtigern) suscepit benigne, et tradidit eis insulam, quae vocatur Thanet, quia promiserunt regi, quod sibi fideles essent contra inimicos. Hengistus ergo Friso cum esset astutus, fecit se regi familiarem, et considerans ipsum imbecillem et minus prudentem, Scotosque atque Pictos continuo Britanniam impugnare, persuasit regi, ut mitteret eum ad Frisiam patriam suam, pro militibus bellicosis ibidem abundanter existentibus, quibus regnum eius tutaretur. Rege ergo annuente, Hengistus perrexit ad Frisiam, et collegit Frisones in multitudine. Et primo quidem xi naves cum uxore sua et Ocha filio et filia et aliis multis amicis suis, ac postea xl naves hominibus repletas adduxit. Et deinde regi convivium praeparavit. Rex autem in convivio visa filia ipsius Hengisti, eam adamavit, et in coniugem sibi petiit et accepit. Nuptiis igitur celebratis, idem rex Frisonibus praedictis regionem aquilonarem Britanniae ad inhabitandum dedit. Qui exinde contra Scotos et Pictos navigantes, vastaverunt etiam Orcades insulas, occupantesque plures regiones, ditati sunt et multiplicati vehementer nimis. Quod cernens Gortenir, primogenitus Voltigrani regis ex prima uxore, indigne tulit, et contra Hengistum et fratrem bella commovit, in quibus et fratrem Hengisti cum plerisque aliis occidit. In secundo autem bello frater Gorteniri interemptus est. In tertio vero bello ipse Gortenir victoria potitus, Frisones ex regione aquilonari, eis a patre suo concessa, fugavit, multos occidit, atque e navibus eiectos submersit, caeterosque in Thanet conclusos obsedit. Sed haud diu post Gortenir obiit. Post cuius mortem Hengistus cum magna turba Frisonum iterum illuc advenit, et quomodo regem generum caperet, atque caeteros Britanniae principes occideret, machinari coepit. Misit ergo legatos ad regem in dolo, pro pace facienda, quod et regi simplici complacuit. Die igitur assignata pro pace inter

eos firmanda, ipse rex et omnes principes eius convenerunt. Ubi etiam et Hengistus cum suis Frisonibus adveniens eosdem secreto praemonuit, ut cum ipse sua lingua diceret: Nymet oure saxa (*) (quod sine dubio Frisonicum est) omnes simul cum armis accurrentes Britannos interficerent. Quod et ita perfecerunt. Nam trecentos ibi Britanniae proceres peremerunt, et regem Voltigranum capientes vinculis mancipaverunt. Qui tandem pro redemptione vitae suae urbes et provincias Hengisto dedit. Et sic Hengistus in Anglia regnavit. Tunc Angli iterum a Christiana fide recesserunt, eo quod Hengistus cum suis paganus erat. In illa igitur civitate, quam sibi Voltigranus retinuerat, manens ipse rex cum suis uxoribus et filia Hengisti, ipse Voltigranus cum suis (†), coelesti igne consumptus est, eo quod cum propria filia concumbens, filios ex ea genuerat, nec ad praedicationem sancti Germani episcopi ipsum de incestuoso conjugio corripientis se emendaverat. Non multo post etiam Hengistus mortuus est. Post cujus mortem Ocha filius eius transivit de sinistra parte Britanniae ad regnum Cantiorum, et de ipso reges Cantiae orti sunt. Tandem Britanni videntes ferocitatem et tirannidem Frisonum inito consilio direxerunt Londoniensem Archiepiscopum ad Aldroenum regem minoris Britanniae, ut eis succurreret. At ille tradidit eis fratrem suum Constantinum cum armata militum manu, sicque Constantinus erectus est in regem decem annis. Hic tres habuit filios, scilicet Constantem, qui monachus factus est, et Aurelium Ambrosium et Uterpendragon. Aurelius ergo Ambrosius post mortem patris regnavit, et colligens copias cum aliis Britonum regibus Frisones debellavit, et tandem duodecim proeliis eos superavit,

---

(*) f. *Nimmen ur tha Saxa*, ut sit *Nemo super Saxones*. A. S. *Neoman ofer Seaxan*.

(†) Haec verba *ipse Volt. cum suis* delenda censeo.

ac pro maiori parte ex Anglia fugavit. Non tamen penitus exstirpare eos potuerunt. Nam (ut refert Beda in libro saepe citato de gestis Anglorum) tempore Mauritii imperatoris, qui coepit anno domini dlxxxii, anno regni eius xiv, beatus Gregorius papa misit Augustinum praedicare verbum Dei genti Anglorum, anno ab adventu eorum in Britannia circiter dlviii regnante tunc in Cantia Edilberto rege potentissimo, qui fere cum omni gente sua fidem Christianam devote suscepit. Erat autem idem Edilbrecht (teste Beda libro ii historiae Anglorum capite v) filius Iurminrici, cuius pater Occa, cuius pater Orrich cognomento Oisck, cuius pater Hengist, qui cum filio suo Oisck Britanniam primus intravit. Ex his Bedae verbis constat Saxones et Frisones nunquam penitus ex Britannia, nunc Anglia, fuisse exstirpatos. Et ex horum progenie fuerunt sanctus Wilbrordus in Anglia natus cum suis, qui cum illo ad praedicandum Christi evangelium Frisonibus et Saxonibus Traiectum advenerant. Testatur hoc idem beatus Marcellinus in legenda sancti Swidberti episcopi, ubi loquitur de undecim viris sanctis et doctis, qui cum beato Willibrordo primo Trajectum venerant, dicens: Et quum hi sancti doctores propagati fuerunt in Anglia de stirpe Frisonica et Saxonica, ideo convenienter praedicare potuerunt eis evangelium Christi in lingua Germanica. Dicit insuper chronica Leidensis, quod sanctus Willibrordus cum suis ex Anglia veniens primum applicuit Walacriae insulae Zelandiae, et venit in Westcapella, ubi Deus erat Mercurius, ibique evangelium lingua Frisonica, quasi Friso Frisonibus, praedicavit. His satis probatum arbitror Anglos non modo a Saxonibus, sed etiam a Frisiis originem habuisse.

LIBRI PRIMI FINIS.

WORPERI THABORITAE

CHRONICON FRISIAE.

Liber Secundus.

TRACTANS ET DOCENS, QUANDO ET PER QUOS CHRISTIANA RELIGIO PRAEDICATA IN FRISIA EST.

De genealogia Caroli Magni.

CAP. I.

Anno Domini dlx fuit ab Haspesgouwen in Brabantia nobilis quidam princeps ac multis virtutibus praeditus nomine Carolomannus. Hic propter eximias suas virtutes gratus erat regibus Francorum. Qui postquam Brabantiam et Haspesgouwen annis lv gubernasset, mortuus est relicto filio Pippino de Lande. Pippinus de Lande filius Carolomanni praedicti factus est dominus Brabantiae anno Domini vic. xv, qui, ut in vita sanctae Gertrudis virginis dicitur,

cum beato Arnulpho omnem populum inter silvam Carbonariam et fluvios Mosam et Mosellam usque ad Frisonum fines habitantem strenue gubernavit. Hunc igitur Lotharius Francorum rex propter suas virtutes primum Brabantiae et Austrasiae sive minoris Lothoringiae, quae inter Rhenum et Scaldim fluvios sita est, ducem fecit, sed et ensiferum suum ac primum Palatii sui principem constituit. Hic Pippinus accepta uxore Itta, sive Ydeburga, filia ducis Aquitaniae, genuit ex ea Grimoaldum filium et duas filias Beggam scilicet et beatam Gertrudem virginem. Mortuo autem Pippino Itta, relicta eius, se et sua Deo devovens, monasterium Nivellense in Brabantia fundavit, eique filiam suam Gertrudem, Deo dignam virginem, praefecit. Begga vero altera eius filia, accepto viro Angiso, sancti Arnulphi filio, genuit Pippinum de Harstallo. Pippinus igitur de Harstallo, nepos supradicti Pippini de Lande ex eius filia, factus est tertius dux Brabantiae et Lothoringiae. Qui ideo dictus est Pippinus de Harstallo, quia in loco dicto Harstallo intra Traiectum superius sive Maestricht et Leodium super Mosam fluvium aedificaverat sibi castrum et habitationem. Duxit autem uxorem nomine Plectrudem, de qua genuit Drogonem Campaniae ducem et Grimoaldum, maiorem domus Hildeberti regis Franciae. Genuit deinde, vivente legitima uxore, Carolum Martellum filium ex Alparda nobili concubina. Quare sanctus Lambertus Tungerensis episcopus ipsum increpans, quod pellicem Alpardam legitimae uxori suae superduxerat, a Dodone fratre ipsius Alpardae Leodii interficitur. Hic gloriosissimus princeps maior domus regis Franciae fuit, et (rege Franciae nihil nisi nomine regio retento) gubernationem totius regni administravit. Nam (ut Sigibertus scribit) Francorum regibus a solita fortitudine et prudentia degenerantibus, regni potentia per maiores domus disponebatur, regibus solo nomine regnantibus. Quibus moris erat

principari quidem secundum genus, et nihil agere vel disponere, quam irrationabiliter edere et bibere, domique morari, calendis vero Maii praesidere coram tota gente in publico, et salutare et salutari, obsequia et dona accipere et rependere, et sic secum usque ad alium Maium permanere. Iste itaque est Pippinus, qui Frisiis ac eorum regi Radbodo bella intulit, ut eos non tam suae ditioni, quam Christianae religioni subiiceret. Iste etiam sanctum Willibrordum cum suis sociis primo ad Frisios direxit, ut eos ad cognitionem verae fidei praedicando perduceret.

Mortuus est autem Pippinus de Harstallo gloriosus princeps anno Domini viicxiiii, et Carolum Martellum filium suum ex Alparda pellice natum praeferens legitimis filiis reliquit omnium principatuum suorum haeredem. Carolus Martellus, illegitimus Pippini filius, factus est post patrem quartus Brabantiae dux et maior domus Franciae. Qui mox suscepto principatu aestuans infidelium ad veri Dei cultum conversionem, omnes circum gentes ad Christianam religionem perducere haud infructuose disposuit. Et primo omnium cum Frisonibus congressus, atque Poppone exercitus eorum duce interfecto, Radbodum regem ad suscipiendam fidem compulit. Deinde armis subiugat Saxones, devincensque Lanfredum Alemannorum ducem Alemanniam sibi fecit vectigalem. Suevis quoque debellatis, Eudonem Aquitaniae ducem bello victum fugat, et Aquitaniam devastat. Post haec Sarracenis Galliam populantibus, ecclesiasque Dei cremantibus, Carolus Dei fretus auxilio armatus occurrit, et ex eis ccclxxv milia cum suo rege Abdiramo peremit. Nunquam enim pugnabat, quin vincebat. Cuius crebris victoriis et inertia Hilderici sui regis Franci moti obtulerunt ei coronam regni Francorum. Qui renuens ait: Gloriosius est regem superare, quam regem esse. Cum ergo hic bellicosissimus princeps assiduitate bellorum vidisset thesaurum regni defecisse, res ecclesiasticas, id est decimas, suis militibus con-

cessit habendas. Pro qua re ipsius anima post mortem in suppliciis inferni a sancto Euchario sive Euterio, Aurelianensi episcopo, visa est detineri. Pacato tandem ac regno Francorum dilatato, obiit victoriosissimus princeps, corpusque eius in ecclesia sancti Dionisii sepelitur. In cuius sepulchro post aliquot annos, non corpus, sed ingens vermis inventus est. Et notandum quod solius huius Caroli Martelli et patris eius Pippini de Harstallo labore et industria, post Deum, semper tum bellando, tum praedicatores mittendo, Frisia ad Christum conversa est.

Huic Carolo Martello successit filius eius Pippinus, cognomento propter staturae pusillitatem nanus sive parvus, et factus est quintus dux Brabantiae. Qui cum esset maior domus regis Franciae, et Hildericus Francorum rex vir esset remissus et inutilis, nihilque regia sublimitate dignum praeter regis nomen possidens, misit Pippinus princeps legatos ad Zachariam papam consulens, quis potius rex esse deberet, qui magnos pro regni pace labores sustineret, an qui otio deditus solo regio contentus esset nomine. Cui papa remandavit, illum debere regem appellari, qui augeret rempublicam. Qua responsione animati Franci, Hilderico rege in monasterio retruso et tonsurato, Pippinum elegerunt anno Domini viicl (post annos circiter lxxxviii postquam maiores domus coeperunt principari super reges Francorum), et auctoritate apostolico a Bonifacio archiepiscopo Moguntiae in regem ungitur et consecratur. Atque a Stephano papa eius generatio per filios suos Carolomannum et Carolum in haereditatem regalis successionis benedicitur; regnavitque Pippinus annis xviii. Hic Longobardos Romanos infestantes cum suo rege Haystulpho vicit, et ad nutum suum cum Romanis eos pacem facere compulit. Saxones quoque post multam stragem sibi subiiciens tributarios fecit. Tandem post multa proelia feliciter perpetrata, Pippinus iste ex regalis aulae praefecto in regem

(ut dictum est) promotus moritur anno Domini viiclxviii et in ecclesia sancti Dionisii tumulatur.

Carolus, non minus pro felicitatis, quam corporis magnitudine, cognomento magnus, Pippini regis ex Berta, filia Heraclii imperatoris, filius, factus est post patrem rex Francorum, unde in ipso genus Graecorum, Romanorum et Germanorum concurrunt. Et ideo non immerito ad ipsum postea est translatum imperium. Erat enim Carolus magnus, sicut omnes patres eius superius enumerati, natione non Gallus (ut nonnulli autumant), sed Germanus. Natus est enim Carolus magnus in civitate Ingelheim ad ripam Rheni fluminis in terra Rincoviensi sita, quare in praesentem usque diem est sub ditione Caesareae maiestatis. In qua etiam vetustum olim ruinosumque fuit castrum, in quo natus est Carolus magnus, quod postea Robertus Bavarus Romanorum rex, atque deinde Carolus quartus imperator reparaverunt, ac multis aedificiis ornaverunt, fundaveruntque in eo collegium canonicorum relarium ad perpetuam Caroli magni nativitatis memoriam.

Erat autem iste Carolus (ut scribit Turpinus Remensis archiepiscopus) corpore decorus, sed visu ferus; statura eius octo pedum suorum, qui erant longissimi, facies eius in longitudine habebat palmum et dimidium, barba unum pedem, nasus circiter dimidium. Cingulus, quo cingebatur, octo pedem erat longitudine, praeter id quod pendebat. Parum panis comedebat, sed quartam partem arietis, aut gallinas duas, aut anserem unum, aut spatulam porcinam, aut pavonem, aut leporem integrum, una vice edebat. Modicum vini aqua limphati sobrie bibebat. Tantae erat fortitudinis, quod militem armatum super equum sedentem a vertice capitis usque ad bases, simul cum equo, uno ictu propria spatha secabat. Quatuor etiam ferraturas equorum simul manibus facile extendebat. Militem armatum stantem super palmam suam a terra usque

ad caput suum sola manu velociter elevabat. Liberos suos, tam filios, quam filias, primo liberalibus studiis erudiri iussit. Deinde filios, cum primum aetas patiebatur, equitatione atque armis et venationibus exerceri fecit. Filias vero lanificio assuescere, colo atque fuso (ne per otium torpescerent) operam impendere voluit. Ipse Carolus in omni scientia peritus fuit, summeque literas semper amabat. Inter coenandum aut aliquid legebat, aut lectorem audiebat. Legebantur sibi historiae et antiquorum gesta. Delectabatur etiam libris beati Augustini, praecipueque his, qui de civitate Dei inscribuntur. Ipse quoque per universum mundum, ad indaganda nomina, actus et obitus sanctorum, nuntios misit, quae per Isuardum monachum in unum volumen conscribi fecit, quod nunc martyrologium dicitur. Fecerant hoc ante Hieronimus, Beda et Florus, sed non integre. Hic autem singulis diebus annotavit ea, et inventum est, quod singulis diebus anni occurrebant plus quam ccc festa, et ideo statutum est, ut diceretur in fine semper, et aliorum plurimorum sanctorum. Iste Carolus etiam, ut scribit Sigibertus, per manum Pauli diaconi sui, decerpens optima quaeque de scriptis catholicorum patrum, ordinavit lectiones unicuique festivitati convenientes per anni circulum in ecclesia legendas. Ipse etiam devotus princeps sequentias: Rex omnipotens die hodierno, quae in ascensione Domini, et Ave praeclara, quae de beata virgine cantatur, composuisse dicitur. Habuit insuper singularem diligentiam et reverentiam erga divinum cultum. Nam (ut in historia scribitur Francorum) ecclesiam mane et vespere ac nocturnis horis, sacrificiique tempore, quoad valetudo permisit, impigre frequentabat, curabatque magnopere, ut omnia, quae in ea gerebantur, cum maxima fierent honestate, aedituos crebro commonens, ne quid indecens aut sordidum in ecclesiam inferri vel in ea permitterent remanere. Semper quoque (ut Mar-

tinus refert in chronica) Romam veniens, de equo ad miliare descendit, et pedes eundo per urbem omnes ecclesiarum postes humiliter deosculari consuevit. Quanto denique catholicae fidei zelo ardebat, ad dilatandam Christianam fidem, nedum in suo regno, sed in tota Europa, liquido patet legenti historias. Nam Saxones xxxiii annis diris contra eos proeliis dimicando fidei Christianae subiecit. Deinde Hispaniam per multorum triumphos bellorum ad fidem Christianam convertit. Idem Carolus postquam terram sanctam de potestate Sarracenorum eripuit, et per Constantinopolim rediret, aurum, argentum, gemmasque pretiosas per imperatorem Constantinopolitanum sibi exhibitas accipere renuit, sed solas Dominicae passionis et Sanctorum reliquias postulavit. Praemisso ifaque ieiunio et oratione, de corona Domini partem, quae tunc ipso cernente floruit, et clavum unum passionis, partemque crucis Dominicae, sudarium Domini, camisium beatae Mariae virginis, fasciam, quae puerum Ihesum in cunabulis texit, ac brachium sancti senis Simeonis suscepit, quae omnia multis miraculis comitantibus secum detulit, et Aquisgrani in basilica beatae Mariae, quam construxerat, recondi fecit.

Quando et per quem primo Christi fides sit praedicata in Frisia.

CAP. II.

Anno ab incarnatione Dominica viclxxvii cum sanctus Wilfridus Eboracensis archiepiscopus, Romam iturus, navem ascendisset, flante favonio pulsus est ad Frisiam, et honorifice susceptus a barbaris simul et a rege Aldigillo, praedicabat eis per hiemem Christum, et aliquos verbo ve-

ritatis instruens a peccatorum suorum sordibus fonte salutari abluit. Et sic ipse sanctus Wilfridus primus omnium fidem Christianam Frisiis praedicavit. Quumque ad aures sancti Egberti Eboracensis archiepiscopi pervenisset, Frisiam et Saxoniam idolorum cultibus sordescentes, et longa infidelitatis caecitate irretitos esse, valde doluit. Proponens igitur cum plerisque sacerdotibus illuc tendere, ut eos ad agnitionem fidei praedicando perduceret, superna illi oracula restiterunt. Tunc misit ad eos unum de canonicis suis Wigbertum nomine cum duobus pueris, eo quod ipse esset contemptu seculi et scientia insignis. Qui navem ascendens, Frisiamque perveniens, duobus continuis annis genti illi et regi eius Radbodo verbum salutis praedicabat. Sed obstante sibi diabolicae fraudis nequitia parum profecit, nec aliquem tanti laboris fructum apud Frisones invenit, et sic infecto negotio Angliam versus tristis transfretavit. De cuius infructuoso reditu sanctus Egbertus archiepiscopus multum ingemuit. Acta sunt autem haec anno Domini viclxxxi sub Radbodo rege filio Aldigilli regis praefati.

Quomodo sanctus Wilbrordus cum suis sociis missus sit ad Frisones.

CAP. III.

Ut autem vidit vir Domini Egbertus archiepiscopus, quod nec ipse ad praedicandum gentibus ire permissus sit, nec Wigbertus quicquam profecisset, non tamen destitit a bonae voluntatis inchoato proposito, sitiens et affectans salutem omnium hominum, et praecipue paganorum Frisonum et Saxonum, eo quod Angli ab eis propagati sunt, temptavit adhuc mittere illuc in opus verbi Dei viros sanctos,

et ad praedicandum verbum Dei strenuos et idoneos, utpote actione et eruditione praeclaros. Elegit ergo et congregavit, ad numerum xii Apostolorum, xii Apostolicos viros in fide constantes ex diversis monasteriis ad praedicandum Germanis Catholicam fidem. Fuerunt autem hi missi, Willibrordus, Switbertus, Accha, Wigbertus, Willibaldus, Winibaldus, Lebuinus, duo Eualdi, Werenfridus, Marcellinus et Adelbertus. Omnes praefati presbiteri et sacerdotes erant, excepto Adelberto, qui fuit levita. Erat autem Adelbertus iste filius regis Deirorum; qui pro Christo dimittens regale patrimonium cum praedictis electus a sancto Egberto, amore Christi peregrinum intravit exilium. Et quum hi sancti doctores propagati fuerunt in Anglia de stirpe Frisonica et Saxonica, ideo convenienter praedicare potuerunt illis evangelium Christi in lingua Germanica. Quorum aliqui ex his postmodum palma martirii coronati sunt, alii praedicationibus continuis inter barbarosque usque ad obitum institerunt. Igitur praeparatis omnibus, quae tantis viris necessaria videbantur, mox praefati xii egregii viri, salutatis amicis et parentibus, acceptaque benedictione egregii archiepiscopi Egberti supradicti, prospero vento celeriter in Wiltemberch sive Traiectum advehuntur, anno scilicet ab incarnatione Domini vi^c.xc, pontificante Romae apostolico viro Sergio papa, anno suo iii, imperante piissimo imperatore Iustiniano. Qui cum illo advenissent, ordinaverunt et instituerunt inter se eandem conversationem, quae in initio nascentis ecclesiae fuit apostolis ac discipulis Christi, ut essent illis omnia communia. Intrantes ergo Traiectum et citeriorem Frisiam, ubique constanter Christum evangelizabant, sed parum primo profecerunt, eo quod Frisones essent homines indomabiles et durae cervicis, magis idolis, quam Christo servire gaudentes, et non solum arroganter aspernabantur eos et legem Christi, sed insuper atroci morte ipsos oppri-

mere, nisi desisterent, minabantur. Quod attendentes sancti sacerdotes ipsi charitative condolentes, devoto corde deprecabantur Deum, quatenus eorum corda illuminare dignaretur, ne tam formosas personas insatiabilis tartarus voraci fauce absorberet.

De insula Fostilandia.

CAP. IV.

Morabatur autem illo tempore perfidus Radbodus rex Frisiae, expulsus a Traiecto per Christianissimum principem Pippinum de Harstallo, apud insulam Fostilandiae, quae a quodam Deo suo dicto Fosto tunc Fostilandia appellabatur, quae valde solemnis erat propter superstitiosam sectam idolatriae. In qua insula sacerdotes Dei Willibrordus cum suis sociis cum venissent, suggestione sancti Wigberti profana statim delubra Iovis et Vestae destruxerunt, et constanter praedicando tres solummodo homines baptizando Christo lucrati sunt. Radbodus vero rex, strenuissimus idolatra, audiens idola destructa per Christianos, quos semper oderat, iratus est valde. Atque iniuriam Deorum suorum ulcisci volens, sanctum Wigbertum, quem dudum Christianum noverat, unum ex sociis sanctorum diro tormento iugulari iussit, qui continua prece Deum exorare solebat pro consequenda martirii palma.

Sacerdotes vero sancti perpendentes, quoniam Radbodus rex nequaquam ab idolorum cultura desisteret, et quod in lucrandis animabus parum proficerent propter tyrannidem regis Radbodi, diverterunt ad praefatum principem Pippinum de Harstallo, a quo gratanter sunt accepti.

Quomodo sanctus Willibrordus secundo ad Frisiam mittitur, et prima ecclesia in Traiecto fundatur.

CAP. V.

Et quia idem princeps Pippinus nuper citeriorem Frisiam expulso Radbode rege ceperat, ille eos denuo ad praedicandum misit, praecipiens paganis sibi subditis auctoritate regia, ne quis praedicantibus molestiae quicquam inferret; insuper ut multis eos, qui fidem Christi suscipere vellent, beneficiis ipse attolleret. Unde factum est opitulante divina gratia, ut multos in sua brevi praedicatione ab idolatria ad fidem Christi converterent. Convenientes ad castrum Traiectense, quod pridem Wiltemburch id est oppidum Wiltorum dicebatur, quod in potestate orientalium Francorum eo tempore fuit, ubi dudum inclytus Dagobertus sanctus rex Franciae (ut supra in prima parte dictum est) construi fecerat ecclesiam in honorem sancti Thomae apostoli, sed per Frisones non multo post iterum destructa fuerat. In quo loco prope ruinam illius primordialis ecclesiae sancti Thomae, anno a nativitate Domini vicxcv super aedificaverunt in honorem sanctae crucis oratorium, in quo renativi fontis consecrarunt baptisterium, ut Christi fideles ob defensionem castellani Traiectensis haberent accessum ad suscipiendum sacri baptismatis sacramentum.

Considerantes deinde praefati praedicatores messem, quod multam, operarios autem paucos, iverunt more apostolorum Christi, bini et bini, trini et trini, adiunctis sibi aliquibus neophytis, in diversis pagis Frisiae Germaniaeque provinciis.

Quòmodo sanctus Swidbertus episcopus consecratur et multos in Frisia aliisque provinciis Germaniae ad fidem convertit.

CAP. VI.

Denique crescente quotidie numero fidelium, praedicantibus cum magna devotione praefatis praedicatoribus, gratiam *baptismi* quicumque ex eis erant sacerdotali gradu praediti ministrabant. Cum vero ecclesias non haberent, ad quas populum conversum convocare et divina celebrare possent, communi decreto omnium fratrum et neophytorum duos ex eis in episcopos consecrandos elegerunt, qui populo Frisonico praeessent verbo praedicationis, et ecclesias dedicarent ac ordines sacros celebrarent, utpote sanctum Willibrordum inter eos merito praefulgentem, virum humilem et totius honestatis exemplis refertum, et sanctum Swidbertum, virum corde mansuetum, scripturis sacris et ecclesiasticis disciplinis apprime instructum. Sanctus autem Swidbertus ad Britanniam sive Angliam perrexit cum Accho et duobus Ewaldis et Marcellino presbytero, ac nonnullis neophytis; et venerunt in vigilia sancti Laurentii martyris, in conventu Eboracenci, ubi a fratibus conventus, et praecipue parentibus et amicis graciose fuerunt recepti. Tandem duobus Ewaldis tendentibus de licentia sancti Swidberti ad Hiberniam, promissione tamen prius facta, ut quantocius redirent ad Germaniam, ipse sanctus Swidbertus cum caeteris suis confratribus et sociis perrexit ad sanctum Wilfridum, tunc Marchiorum episcopum, sancto Egberto archiepiscopo Eboracensi depresso gravi infirmitatis incommodo, exposuitque ei causam, quatenus ex petitione fratrum in Frisia ab eo episcopus consecraretur. Sanctus vero Wilfridus episcopus, ubi eius opus evangelii inter Frisones comperit, magno gaudio exsultavit in

Domino, atque ipsum cum magna laetitia et solemnitate, vocatis ad se in ministerium ordinationis aliis duobus episcopis, consecravit episcopum in festo sancti Bartholomei apostoli, anno ab incarnatione Domini vicxcv. Quo consecrato, dum remitteret ipsum, confortans et exhortans dixit sanctus Wilfridus episcopus: Dilecte frater, nullus te labor aut maledicorum hominum linguae et manus deterreant; et noli timere eos, qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt, sed omni instantia omnique fervore ea, quae inchoasti, Deo auctore constanter perage. Scis enim, quod magnum laborem maior retributionis gloria sequitur. Et osculans remisit ipsum cum sociis in ministerium, retento secum Accho presbytero, quem in episcopum Augulstaldensis sive Lindifaronensis ecclesiae consecravit. Igitur sanctus Swidbertus pontificali fultus auctoritate et honore, salutatisque parentibus et amicis, cum Christi famulis, qui cum eo erant, rediit in opus evangelii et verbi Dei, pervenitque Wiltenburch sive Traiectum, per annum et multo amplius, antequam Willibrordus a Roma rediret, atque Traiectum veniret, ibique a fratribus et neophytis honorifice multo cum gaudio susceptus est. Qui coeptum opus evangelicum constanter explens, oppida, rura, vicos, et castella propter evangelizandum longe lateque per Frisiam, Hollandiam et Teisterbandiam pervagatus, multum populum ad Christum doctrinis et miraculorum virtutibus reduxit.

Quomodo sanctus Willibrordus Romae a Sergio papa est archiepiscopus Frisonum ordinatus et Traiectum pro se et suis successoribus a Pippino et Carolo impetravit.

CAP. VII.

Sanctus vero Willibrordus eodem anno, quo supra, Pippinum principem de Harstallo adiit, et secum longe tempore perman(sit), detentus ab eodem Pippino; (qui) tandem ipsum sequenti anno Romam misit ad Sergium papam, postulans, ut ab eo episcopus consecraretur genti Frisonum. Quod ita, ut petierat, est completum. Nam ordinatus fuit sanctus Willibrordus episcopus Frisonum Romae in ecclesia sanctae Ciciliae virginis et martyris, in die natalis eiusdem virginis anno ab incarnatione Domini vicxcvi. Itaque sanctus Willibrordus adepta iam apostolicae benedictionis auctoritate, consecratusque archiepiscopus a sancto Sergio papa, rediit ad Germaniam anno Domini vicxcvii. Cui occurrens sanctus Swidbertus cum clericis et discipulis et multis Christianis, usque Embricam, recepit eum cum magna honorificentia, et gavisi sunt in Domino. Audiensque sanctum Swidbertum episcopum consecratum et comitatum Teisterbandiae cum tota fere Batua ac magna parte Frisiae inferioris ipsius praedicatione conversum, et ecclesiam Traiectensem numero fidelium valde multiplicatam, immensas Deo retulit gratias. Deinde pariter Traiectum pergentes, statim in fundo basilicae sancti Thomae apostoli prope castrum Traiectense canonicorum coenobitalium construxerunt ecclesiam in honorem sancti Martini Turonensis episcopi. In qua sanctus Willibrordus archiepiscopus Frisonum cathedralem sibi ecclesiam stabiliri iussit. Quam sancti Willibrordus et Swidbertus episcopi cum caeteris fratribus propriis manibus benedicendo consecrarunt. Et licet sanctus Swidbertus praecesserit sanctum Willibror-

dum tempore, tamen sanctus Willibrordus praecedit sanctum Swidbertum dignitate, et primus archiepiscopus reputatur Traiectensis, eo quod a sancto Sergio papa archiepiscopus Frisonum specialiter consecratus, et a sede apostolica ad eundem populum missus fuerit; atque quod ab illustri principe Pippino de Harstallo et a glorioso filio eius Carolo Martello ex regali donatione civitatem Traiectensem cum suis appenditiis pro se et suis successoribus Traiectensis-ecclesiae episcopis impetravit. Et ideo sanctus Swidbertus non episcopus Traiectensis appellatur, sed coëpiscopus sancti Willibrordi.

Radbodus rex filium Pippini interficit, et Caroli Martelli exercitum vincit, a quo iterum victus Christianum se fieri pollicetur.

CAP. VIII.

Anno Domini viicxiiii gloriosus princeps Pippinus de Harstallo moritur, et Carolum Martellum ex Alparda pellice natum omnium principatuum suorum reliquit haeredem. Mortuo igitur Pippino, Radbodus rex Frisonum contra Carolum Martellum rebellare coepit. Et primo quidem misso Mingario (*) satellite suo interfecit Grimoaldum, generum suum, fratrem Caroli Martelli, filium Pippini ex Plectrude legitima uxore, maiorem domus, Leodii ante altare sancti Lamberti orantem. Quo facinore indignatus Carolus, anno Domini viicxv, venit contra eum in proelio, sed victus ab eo et fugatus Carolus grave sui exercitus consequitur damnum. Qua victoria elatus Radbodus rex congre-

(*) Al. Langario.

gavit anno sequenti exercitum magnum, ut irrumperet et vastaret terram orientalium Francorum, scilicet Brabantiam et Lothoringiam. Quod audientes Franci metuebant nimis, reminiscentes, quomodo paulo ante graviter ab eo vulnerati terga vertissent. Cui Carolus Martellus bellicosissimus et imperterritus princeps occurrit, et diro commisso praelio Carolus triumphat, et interfecto Poppone duce, cum plerisque Frisonibus, Radbodum cum caeteris fugat. Igitur Carolus victor Radbodum regem iterato ad veniam suscepit, ea conditione, ut sine dolo baptizaretur et Christianus fieret. Quod et se facturum spopondit.

Wulfrannus episcopus divino oraculo in Frisiam mittitur, et iuvenem forte suspensum a morte liberavit; et de miserabili sacrificio Frisonum.

CAP. IX.

Eodem anno et tempore, dum haec in Frisia agerentur, sanctus Wulfrannus Zenonensis episcopus per divinum oraculum in somno est admonitus, ut ad Frisiam tenderet et beato Wilbrordo pro convertendis Frisonibus diligenter assisteret. Qui pergens ad monasterium Fontanellae, inde cooperatores secum ad praedicandum assumpsit. Cumque ad Frisiam venisset, et praedicationi diligenter instaret, multos ab idolatria, divina cooperante gratia, convertit. Fuit enim consuetudo Frisiis, ut quando suis vellent Diis immolare, tunc inter se sortem mittebant, et sors super quem ceciderat, suspendio necabatur. Cecidit ergo tunc temporis sors super quendam adolescentem nomine Onno. Cumque iam suspendendus esset, accurrit vir Dei Wulfrannus epis-

copus, rogans pro eo, ne tantam insaniam perpetrarent, sed sibi eum potius donarent. Responderunt Frisones dicentes: Nos eum secundum morem nostrum suspendimus, quia prior super eum sors cecidit; sed si Deus tuus illum a morte liberaverit, tuus erit. Quo suspenso oravit vir Dei pro eo Dominum. Et ecce vix oratione terminata, videntibus cunctis, qui aderant, Onno illaesus cecidit de patibulo, et statim mirantibus Frisonibus a sancto Wulfranno episcopo baptizatur. Qui postea a Regislando Rothomagensi episcopo presbiter ordinatus, multos codices in monasterio Fontanellae transscripsit, ubi et doctrina et sanctitate clarus effulsit.

De baptismo, diabolica illusione, et morte Radbodi regis Frisonum.

CAP. X.

Praedicante autem sancto Wulfranno magno labore et fervore per Frisiam, tandem anno Domini viicxviii, secundum Sigibertum, eiusdem praedicatione Radbodus rex Frisonum ad hoc adductus est, ut baptizaretur. Cumque iam unum pedem in lavachro intinxisset, alterum pedem retrahens, interrogavit, ubinam plures maiorum suorum essent, in inferno, an in paradiso. Et audiens plures esse in inferno, quam in coelo, intinctum pedem extrahens, ait: Satius est ut plures, quam pauciores sequar. Et ita ludificatus a daemone promittente, quod ei tertia ab hinc die incomparabilia dona daret, ipse tertia die subita et aeterna morte periit, unde quidam hoc in ipsum distichon exclamans ait:

O iocus, o dirum tibi formidabile semper
Elogium Radbode tuum post tristia fata.

Quomodo autem Radbodus iste a diabolo deceptus fuerat praedictus Onno narrare solebat, dicens: Diabolus apparuit Radbodo in somno in angelum lucis transfiguratus, caput opertum diademate aureo cum gemmis, et veste auro contexta. In quem cum Radbodus intenderet, dixit ad eum *diabolus*: Virorum fortissime, quis te ita seduxit, ut a cultura Deorum velis recedere? Noli facere hoc, sed mane in his quae didicisti, et venies ad domos aureas, quas tibi aeternaliter in proximo sum daturus. Cras ergo accerse Wulfrannum doctorem Christianorum, et ab eo quaere, quaenam sit illa mansio, quam tibi pollicetur. Quam cum demonstrare nequiverit, utriusque partis mittantur legati, et ego ero dux itineris, et demonstrabo illis domum auream et mansionem pulcherrimam, quam tibi promitto. Evigilans Radbodus narravit cuncta sancto Wulfranno, qui dixit: Illusor diabolus tibi, o rex, vult illudere. Respondit rex, se futurum Christianum, si illa pulchra mansio non demonstraretur sibi a Deo suo. Mittitur ergo statim quidam Friso ex parte regis, et quidam diaconus ex parte Wulfranni episcopi. Qui cum paululum ab eo oppido processissent, obvium habuerunt quendam itineris comitem, qui dixit eis: Properate cito, nam monstrabo vobis pulcherrimam mansionem Radbodo duci praeparatam. Illi autem pergentes viam latissimam et loca ignota, viderunt quandam viam diversorum generibus marmorum, polito opere decoratam, videruntque a longe domum quasi auream, et pervenerunt ad plateam, quae ante domum erat, quasi auro et gemmis stratam. Intrantesque in domum, viderunt domum esse mirae pulchritudinis et incredibilis splendoris, atque in ea thronum mirae magnitudinis. Tunc ductor itineris ait illis: Haec est mansio praeparata

Radbodo duci. Ad haec diaconus obstupescens ait: Si a Deo facta sunt ista, perpetuo maneant, si vero a diabolo, cito dispereant. Et cum signaret se signo sanctae crucis, ductor ille transiit in diabolum, et domus aurea in lutum. Remanseruntque diaconus et Friso in medio locorum palustrium, quae plena erant longissimis virgultis (sive) ruscis. Qui triduo immensi itineris conficientes iter reversi sunt ad oppidum, et regem mortuum invenerunt, narraveruntque, quae viderant, Wulfranno. Friso autem baptizatus est, qui dicebatur Ingomarus vel Cuningus; qui et secutus est sanctum Wulfrannum ad monasterium Fontanellae. Sed et filius Radbodi regis subita patris morte territus, conversus est et baptizatus, atque in albis adhuc positus exspiravit. Fuit autem sanctus Wulfrannus episcopus apud Frisios per annos quinque, et postea reversus ad Fontanellae monasterium, in quo obiit tertio calendas Aprilis anno Domini viicxx.

Mortuo Radbodo rege, beatus Willibrordus cum suis libere praedicavit.

CAP. XI.

Mortuo Radbodo rege Frisonum, libere permissi sunt praedicatores sancti, ubique per Frisiam patenter evangelium Christi praedicare. Quapropter sancti Willibrordus et Swidbertus episcopi cum caeteris sacerdotibus et clericis Frisiam et Hollandiam ubique pervagantes, rudem populum documentis evangelicis informaverunt, cathecumenos baptizaverunt, neophytos confirmaverunt, sacros ordines celebraverunt, ac in pagis singulis evangelium pacis constanter praedicaverunt, atque per loca singula presbyteros et diaconos ordinaverunt, qui eos verbo fidei et ministerio

baptizandi adiuvarent. Et non solum per Frisiam praedicaverunt et Lothoringiam, sed usque ad Daciam (*) praedicando populum purgatum a barbarica gentilitatis idolatria orthodoxae iunxerunt fidei. Cumque sic per aliquot annos ferventes evangelici pontifices et verbi Dei praecones continue in diversis provinciis, Christum praedicassent, redierunt cum exsultatione Traiectum ad confratres et cooperatores verbi Dei enarrrantes illis, quanta Dominus per illos fecisset.

De prima synodo Traiecti celebrata, et de morte sancti Willibrordi primi archiepiscopi Frisonum.

CAP. XII.

Deinde advertentes praefati sancti pontifices et egregii praedicatores, qui cum iis ex Anglia venerunt Traiectum, quod multus populus, deo prosperante, ab infidelitatis errore ad Christum conversus esset, convocata synodo in novella ecclesia Traiectensi, decreverunt more apostolorum et discipulorum Christi, in diversas circumiacentes barbaricas nationes praestantiores praedicatores mittere, ad praedicandam ipsis fidem Christi. Erant autem eo tempore in eadem ecclesia primitiva Traiectensi apostolici pontifices et canonici egregii praedicatores, qui sanctos Swidbertum et Willibrordum episcopos sequentes constanter Christum gentibus praedicaverunt, praeter socios sancti Willibrordi, quos supra memoravimus, utpote sanctus Winfridus sacerdos, qui postquam tredecim annis in ecclesia Traiectensi ut canonicus degisset, archiepiscopus Maguntinensis consecratur, et Bonifacius appellatur, atque post obitum sancti Wil-

(*) f. Daniam.

librordi episcopi Traiectum rediens secundus Traiectensis archiepiscopus ordinatur, ut infra latius dicetur. Similiter et sancto Wiro Deirorum episcopus et sanctus Plechelmus episcopus de Massa (*) candida, sanctus Othgerus levita cum plerisque aliis gloriosis sacerdotibus et praedicatoribus. Cui sanctae synodo sancti Willibrordus et Swidbertus antistites fuerunt. In qua conclusum et definitum fuit, ut omnes primi praedicatores in externas provincias praedicarent verbum Dei, sancto tamen Willibrordo in sua Traiectensi diocesi permanente. In qua docendo et sanctissime vivendo, verbo et exemplo sibi subiectos in Christi fidem instruendo, obiit plenus dierum et virtutum, postquam Traiectensem rexisset ecclesiam xl annis, anno videlicet Domini viicxxxv septimo idus Novembris. Caeteri vero hac illacque dispersi propter verbum Dei cunctis gentibus praedicandum, post multorum paganorum conversionem salubri fine in Christo quieverunt.

De morte et canonisatione sancti Swidberti episcopi Werdensis, Carolo Magno imperatore et Leone tertio papa.

CAP. XIII.

Sanctus autem Swidbertus coepiscopus sancti Willibrordi, postquam multis annis cum labore magno et fervore per Frisiam, Westphaliam et Boructuariam praedicasset, oravit assidue Dominum, ut ei iam seni locum ostenderet, ubi habitare deberet. Qui tandem angelica admonitus revelatione Coloniam ire praecipitur, ad illustrem principem Pippinum et Plectrudem eius coniugem devotam. Cui Pippinus

(*) al. *Casa candida; Withern.*

praefatus dedit vicum Werdam in littore Rheni, ubi continuo vir Dei auxilio et industria Pippini et Plectrudis construxit monasterium in honorem gloriosae virginis Mariae. In quo collecto agmine Christi, regularis eos vitae coepit instituere disciplinis, non rigorosis, sed quas rudes et neophyti capere et custodire poterant, iuxta verbum Dei dicentis: Iugum meum suave est et onus meum leve. Ipse vero cum beato Villeico presbytero caeterisque devotis discipulis, sub arctiori regulae iugo, sanctissimam et continentissimam vitam duxit, multis prodigiis et miraculis super terram coruscando, multosque infideles actione et doctrina ad fidem Christi convertendo. Tandem anno Domini viiexvii sanctissimus Swidbertus Werdensis episcopus plenus virtutibus migravit ad Dominum, anno aetatis suae lxix calendis Martii, in feria sexta, et in conventu suo Werdensi, cum honore condigno per sanctum Willibrordum archiepiscopum, et gloriosam Plectrudem Austrasiorum principissam, caeterosque fratres et discipulos, sepelitur. Quem dominus post mortem infinitis illustravit miraculis, caecis videlicet visum, claudis gressum, febricitantibus incolumitatem et infirmis sanitatem praestando, praecipue tamen squinantiae (*) morbi singularis habetur patronus. Deinde anno Domini viiiciii Leo papa illius nominis tertius cum magna solemnitate suorum cardinalium, archiepiscoporum, episcoporum ac prelatorum ad Carolum Magnum imperatorem in Germaniam veniens ab eodem imperatore imperialiter cum suis susceptus est. Qui multas ecclesias, monasteria et altaria Aquisgrani, Coloniae, Tungris, ac in multis aliis locis per Galliam et Almaniam consecravit, ubique multas indulgentias ministrando. Tandem ad instantiam gloriosissimi imperatoris Caroli Magni, et venerabilis Hildebaldi archipraesulis Coloniensis, idem sanctus papa Leo perrexit

(*) i. e. *synanche*. Vid. Voss., *De vit. serm. Lat.*, I, l. 6.

navigio a Colonia in Werdam, stipatus imperatoria maiestate ac sacrato choro cardinalium et archiepiscoporum multorumque procerum. Cui occurrerunt usque ad Rhenum devoti fratres sancti Swidberti processionaliter, cum incolis eiusdem oppidi de Werda, introducentes ipsum papam cum imperatore et caeteris in ecclesia sancti Swidberti. Ubi idem Leo papa, lecta sanctissima vita ipsius, cum miraculis innumeris, per sanctum Marcelinum consocium ipsius conscripta, de assensu pariter et consensu suorum cardinalium caeterorumque praelatorum ibidem astantium, ipsum solemniter canonizando catalogo sanctorum confessorum asscripsit. Canonizavit autem ipsum pridie nonas Septembris anno quo supra. Cuius vitam sanctus Marcelinus presbiter eius consocius rogatu sancti Gregorii tertii, Traiectensis episcopi, diligenti stylo conscripsit. Sed ipsius canonizationem cum miraculis postea factis conscripsit sanctus Ludgerus prothoepiscopus Monasteriensis, ad instantiam venerabilis Rixfridi septimi episcopi Traiectensis, unde haec, quae supra de canonizatione posui, sumpta sunt.

De caeteris sociis sancti Willibrordi qui primo ad Frisiam cum eo venerunt et de morte ac miraculis sancti Marcelini.

CAP. XIV.

Accho (ut supra dictum est) cum sancto Swidberto in Angliam rediens a sancto Wilfrido episcopo Augulstaldensis ecclesiae episcopus consecratus post sanctissimam vitam in Domino quievit. Sanctus Wigbertus in Fostilandia martyrio fuit coronatus, ut supra dictum est. Sanctus Willibaldus

orientalem Franciam adiens Aureatensis sive Eystatensis (*) episcopus factus est. Sanctus Winibaldus frater eius Heindelamensis abbas est ordinatus, quorum germana fuit sancta Walburgis virgo. Lebuinus siquidem in orientali Francia pontificatum adeptus, martyrio prope Gandavum coronatur. Duo quidem Ewaldi Nabiam (†) ingressi Christum praedicando confessi sunt, qui abinde ascendentes in Saxoniam martyrio coronati sunt. S. Werenfridus presbyter et egregius praedicator versus Betuam missus novellum Christi populum in Westervoert et in finibus illis feliciter rexit; et infinitis clarificatus miraculis tam in vita quam in morte idibus Septembris apud Westervoert spiritum Creatori reddidit, et in Elst miraculose tumulatur. Sanctus Adelbertus levita ac primus archidiaconus ecclesiae Traiectensis, filius Edilbaldi regis Deirorum, filii sancti Oeswaldi regis et martiris, in Egmonda in Hollandia oratorium construens, post multorum paganorum conversionem et laudabilem sanctae vitae conversationem, multis clarus miraculis, felici fine requievit in Domino septimo calendas Iulii, sepultus in Egmonda. Marcellinus autem presbyter missus est a sancto Willibrordo ad partes Transyselanas et rexit Aldenseel, Trentam, Twentam, Covordiam ac Daventriam, et Dei providentia totum ferme populum Christo praedicando lucratus est, et purgavit a cultu idolatriae. Scribit autem sanctus Ludgerus primus episcopus Monasteriensis ad venerabilem Rixfridum Traiectensis ecclesiae episcopum de sancto Marcelino sic: Marcelinus egregius presbyter ultra lxx annos, evangelizando ferventer Christum, praefuit paganis et gentilibus magnam partem Frisiae convertendo. Sed eo propter suam

(*) Heistatensis. Jo. de Beka, conf. Wil. Heda.

(†) Nabiam vocat Marcellinus in vita Suitberti, et ex eo alii. Buchelius ad Wilh. Heda, p. 32. Cf. eundem ad Jo. de Beka, p. 13. Vorperus Bekam sequitur. Suspicor pro *nabiam* (omissa maiuscula) legendum esse *Suabiam*.

imbecillitatem decrepitamque aetatem ex Frisia ad conventum Traiectensem per sanctum Gregorium episcopum revocato, multi prope Aldenseel, in Frisia, et in confinibus eius, neglectis sacramentis fidei, quibus erant feliciter ab eo imbuti, ad erratica idolorum fana et phylacteria demoniacae artis se contulerunt. Ad quorum errorem corrigendum ab aliquibus incolis Christianis eiusdem provinciae, ut celeriter rediret ad illos perfidos, humiliter requisitus, et ab eodem Gregorio episcopo ad illos missus et directus, eos sua fructifera praedicatione ad viam veritatis denuo revocavit, qui etiam in vico Dockum publice coram Haddone, Tranburgo, Henrico, Gerardo et Adalgero aliisque fratribus praedixit episcopatus honore me sublimandum et populis rudibus verba vitae ministraturum. Quae omnia sortita sunt effectum, ut in praesentiarum cernis. Praeterea dum currum ascenderet ad aurigandum Aldenzeel versus, omnibus ferme fratribus conventus Traiectensis mecum ipsum ad currum comitantibus, et propter suum recessum pie moerentibus, ecce obviam habuit ante portas monasterii Traiectensis duos viros squalida lepra infectos, ligneo sono elemosynas petentes. Quos ut vidit, confisus in Domino, fusa tacitus prece ad Dominum, calicem sibi ad potandum porrectum benedicens et illis leprosis mittens, propter confirmationem neophytorum astantium, praecepit ex eodem calice eos bibere. Qui bibentes statim mundati sunt, nobis omnibus astantibus, et stupentibus de tam insolito miraculo. Ipse vero gratias referens salutis auctori, salutatisque singulatim fratribus recedens et prope Aldenzeel aliquot annos degens, Christumque devote annuntians, ac multis aliis miraculorum signis effulgens ibidem in Aldenzeel feliciter requievit in Domino. Haec Ludgerus episcopus. Prolixius haec de sancto Marcelino scripsi, ut cognita viri sanctitate, scripta eius, et per consequens etiam ea, quae superius ex eius scriptis sumpsimus, magis autentica habe-

antur. Ipse enim non audita, ut venerabilis Beda, et quidam alii, hanc materiam tractantes, scripserunt, sed visa et experta retulit. Ideo haud immerito ipsum omnibus aliis scriptoribus, ubi cum illis discrepat praefero. Hi ergo, quos supra memoravi, sunt socii sancti Willibrordi, qui in Anglia de stirpe Frisonica, sicut et ipse Willibrordus (ut supra tertio capitulo huius partis testatur Marcelinus) nati primitus, salutifera divini verbi praecepta obcaecatis patrum nostrorum cordibus evangelizando tradiderunt, et multos a prophanis idolorum superstitionibus ad veram Christi fidem converterunt. Fuit quippe sanctus Willibrordus, ut in quibusdam chronicis legitur, de stirpe regis Hengisti, qui (ut dictum est in prima parte) cum fratre suo Horsa fuerunt de gente Frisonica, et primi, cum suis Frisonibus Britanniam, nunc Angliam, invaserunt. In eisdem etiam chronicis dicitur, quod sanctus Willibrordus cum suis sociis ex Anglia primum venit in Walacria, in Westcapelle, ibique ipsum evangelium lingua Frisonica, quasi Friso Frisonibus, praedicasse.

De sancto Bonifacio Maguntinensi archiepiscopo et laboribus eius Christum per Frisiam et Germaniam praedicando.

CAP. XV.

Eo tempore quo sanctus Willibrordus archiepiscopus Traiectensem gubernabat ecclesiam, venit ad eum ex Anglia Winfridus presbyter ex antiquis Saxonibus seu Frisonibus in Anglia genitus. De cuius adventu exhilaratus sanctus Willibrordus, cum magno gaudio suscepit et honore, et secum per annos sedecim in Dei servitio et infidelium praedica-

tione detinens, plurimum et quasi continuo in Frisia laboravit, in fanis destruendis, ecclesiis aedificandis, erroribus exstirpandis, ac verae fidei seminibus in cordibus Frisonum aspergendis, ubi non parvum Domino populum acquisivit a daemonum cultura ereptum. Deinde auctoritate sancti Willibrordi pergens Romam, a Gregorio papa secundo, ut maiori auctoritate praedicaret ac corrigenda corrigeret, episcopus ordinatus est; et mutato nomine veteri novum, quod suis congrueret operibus, Bonifacius imposuit. Atque ad consummationem coepti ministerii in Germaniam rursus mittitur. In qua divina auctoritate et apostolica fretus Turingiam, Bohemiam, orientalem Franciam, totamque Germaniam atque Bavariam circumiens, errantes reduxit, reductos confortavit, seductores clericos atque rebelles istos correxit, illos deposuit, hos excommunicavit, istos varie, ut saluti noverat expedire animarum, ecclesiastica censura percelluit, non cedens minis, non territus insidiis, soli Deo, quem in cunctis adiutorem habuit, honorem pariter et timorem impendit. Deinde mortuo Gregorio secundo huius nominis, tertius eidem subrogatur. Qui auditis fructuosis beati viri operibus, pallium eidem misit, archiepiscopum ordinavit, et ut alios ordinaret episcopos potestatem dedit. Unde in Bavariam veniens ipsam in quatuor parochias episcopales divisit, totidemque sedes ordinavit, videlicet Saltzburgensem, cui praefecit episcopum Ioannem nomine, Frisingensem, cui Herembertum pastorem consecravit, Ratisbonensem, cui Gowiboldum, Pataviensem, cui Winaldum a papa consecratum pastorem dedit. Celebrato denique concilio iussu Zachariae papae, qui Gregorio tertio successerat, in Francorum provincia praesente Carolomanno, Caroli Martelli iam defuncti filio, anno Domini viicxlii, xi calendas Maii, omnes non solum clericos, sed etiam episcopos, heretica pravitate deceptos, ab ecclesiae communione expulsit; eos autem, quos capitalis criminis infa-

mia maculaverat, episcopos deposuit. Atque inter multa reformationis acta, Maguntinae civitatis episcopum privavit, duas eidem obiiciens causas. Prima, quia interfectorem patris Lingevoldi, eiusdem sedis episcopi, in bellantium Saxonum ac Turingorum congressione manu sua in Wesera fluvio peremit, eo tempore quando Carolomannus princeps Turingos a Saxonum obsidione liberavit, ac dictum episcopum secum pergere praecepisset. Secunda causa erat, quia propriis oculis conspexisset eum cum avibus canibusque ludentem, quod episcopo minime conveniret, nec ullatenus liceret. Et quoniam tanti viri iudicio recalcitrare non valuit, suae depositioni consensit. Quo facto sanctus Bonifacius eidem sedi praeficitur a Zacharia papa, agentibus Carolomanno et eius fratre Pippino principibus. Qui licet dudum archiepiscopus fuerit, tamen propter laboriosam verbi Dei praedicationem et difficilem totius Germaniae reductionem ad catholicam fidem, usque ad hoc tempus sedem sibi episcopalem non vendicaverat. Ob cuius dignitatem et excellens meritum, Zacharias papa Moguntiam, quae hactenus alteri subiecta fuerat ecclesiae, totius Germaniae metropolim constituit, ut plenius in Zachariae papae bulla continetur. Quantum autem ex tunc hic bonus pastor divina plantare, diabolica exstirpare, aedificare coenobia, fundare ecclesias coeperit, quantam etiam omnium ecclesiae filiorum, praesertim quos ipse per evangelium genuit, solicitudinem gesserit, brevi sermone explicari non potest. Nam Gregorio papa tertio teste in quadam epistolarum suarum, xvi episcopatus sui anno, de Germaniae gentibus, exceptis Bavaris, ad centum milia hominum animas de paganismo ad catholicam fidem ac sanctae matris ecclesiae sinum convertit. Quot ergo in Bavaria, quot in sequentibus viginti annis convertit, quis enarrabit? Audiens deinde anno Domini viicxxxv mortem sanctissimi Willi-

brordi (*). Traiectensis archiepiscopi, mox ad populos Frisonum, quos prius ad catholicam converterat veritatem, pergere disposuit. Pro quibus recuperandis, qui ceciderant, ac confortandis, qui in fide perstiterant, nec senio fesso corpori pepercit, nec adversa, nec tormenta ad mortem usque pertimuit. Itaque synodum episcoporum adunans celebravit, accedente Pippino Francorum regis decreto, qui defuncto Carolomanno fratre solus regnabat, et unctionem suam et coronationem in civitate Suessionis nuper perceperat ab isto Bonifacio iussu Zachariae papae. In qua synodo volens providere ovibus sibi a Deo commissis, ne post recessum suum periclitarentur, Lullum venerabilem sedi suae Moguntinae praefecit, Willibaldum in Eistad, Burchardum in Herbipoli episcopos dedit.

Bonifacius secundus archiepiscopus Traiectensis efficitur, et martyrio in Dockum coronatur.

CAP. XVI.

Haec itaque Bonifacius futurus martyr, ut sapiens architectus, cuncta disposuit, et assumptis aliquot ex fratribus navim conscendens per Rheni fluminis decursum Traiectum usque delatus est. Quo veniens obvium habuit chorum angelicum, quem sanctus Willibrordus in monasterio illo ad laudem Dei aggregaverat. A quibus condigne susceptus, cum eis ecclesiam intravit, et cum plangentibus sanctum Willibrordum acriter planxit. Quibus expletis successor in epis-

(*) Jo. de Beka, mortuum esse Clementem (Willibrordum) tradit a°. viiᶜxxxvii. Vid. *Ann.* Buchelii, p. 13.

copatu et Traiectensis archiepiscopus secundus constitutus, praedicationem a sancto Willibrordo per Frisiam inceptam fideliter exsequebatur. Qui cum decem et sex annis per Frisiam praedicasset, martyrio in Dockum cum uno et quinquaginta fratribus coronatur. Nam cum iam corporis sui dissolutionem sibi imminere praesensisset cum electis sibi sociis, videlicet Eobano episcopo, Winthrungo, Waltero, ac Athalario (*) presbyteris, Haimundo, Schirbaldo ac Besone levitis, Wackaro, Gunthero, Hilgero ac Bertulfo monachis, atque caeteris triginta (†) summae honestatis viris, ascensa navi flumen Alcmere traiiciens Frisiam ingreditur. Quam omnem perambulans verbum Dei ubique cum ingenti fervore praedicabat, paganicum et terraneum gentilitatis morem destruendo, ecclesiasque delubris desolatis ingenti studio fabricando. Ubi multa hominum milia, virorum, mulierum, sed et parvulorum, cum commilitone suo Eobano episcopo baptizavit. Sed, et alii socii eius vitae aeternae semen late per populum divulgantes, plurimum ipsi adiutorio fuerunt. Cumque iam Deo disponente palma adesset martyrii, pervenerunt secus ripam fluminis, quod Borne dicitur, quod est in confinio eorum pagorum, qui rustica lingua dicuntur Oestergo et Westergo, ibique fixis tentoriis aliquo tempore quieverunt. Ibi igitur nuper converso populo et baptizatis diem statuit et locum, quo omnes convenirent, confirmationis sacramentum ab ipso percepturi. Tunc sociorum turba vallatus beatus pontifex Bonifacius inde contendit ad vicum, qui dicitur Dockinghae (nunc Dockum) eos exspectaturus. Cum autem dies

(*) HEDA *Adalarium* scribit: De his aliisque sociis BONIFACII cf. BUCHELIUS ad BEKAM, p. 18.

(†) Quorum nomina memorantur sunt numero xi, quibus xxx additis, fiunt xli. Scriptores tamen omnes in numero li consentiunt, praeter eum, qui in appendice ad BEDAE, *Hist. Angl.*, scripsit liii. Vid. BUCH., l. l.

praedictus illuxisset, tunc versa vice inimici pro amicis venerunt, hostiumque ingens caterva cum lanceis et gladiis irruere coeperunt in castra sanctorum. Tunc repente pueri e castris prosilientes, armis, utcunque poterant, se instruunt et sanctos Dei contra insensatum furentis populi exercitum defendere parant. Sed vir Dei statim audito tumultuantis turbae impetu, accito ad se clericorum choro, sumptis sanctorum reliquiis, quas secum indesinenter deferre consueverat, e tentorio procedit, et confestim increpando pueris certamen interdixit, dicens: Cessate, o pueri, a conflictu, pugnaeque deponite bellum, quoniam scripturae testimonio veraciter erudimur, ne malum pro malo, sed bonum pro malo reddamus. Iam tempus illud apparet, quo de laboriosa saeculi huius aerumna ad aeternae beatitudinis gaudia invitamur. Deinde clericos suos patria voce admonens ait: O viri fratres charissimi, si qua divini amoris cura, si qua Dei memoria manet in vobis, ostendite in hora praesenti, recolentes illa dominica verba: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt, sed gaudete in domino et spei vestrae anchoram in eum defigite, quia extemplo reddet nobis remunerationis bravium (*), et consortium supernorum. Nolite precor diuturna invictissimae mentis bella in hac parvissima perdere hora. Nolite caducis mortalium adulationibus implicari, sed subitaneum, quod imminet, mortis periculum pro illius amore, qui pro vobis passus est, constanter subite, ut cum illo perenniter valeatis regnaturi permanere. Tunc sanctus Eobanus episcopus cum caeteris presbyteris, diaconibus et monachis animati verbis eius orabant eum, ut nequaquam a coelestis praedicationis instantia

(*) *Brabeum*, corrupte *bravium*, ex Graeco βραβεῖον. M. MARTINUS, in *Lexico philologico*, v. *brabeum*, citat *bravium*, e versione vulgata 1 Cor. ix, 24, et Philipp. III, 14.

cessaret, sed tanto fiducialius verbum Dei praedicaret, quanto amplius furens plebs saeviret. Igitur beatus Bonifacius quantocius codicem euangelicum aperiens, coepit populo tumultuanti ex eo praedicare Christum, viamque salutis ostendere. At carnifices cum gladiis et fustibus et lanceis irruerunt in sanctos Dei famulos, eos morte cruenta trucidantes, et ad terram sine contradictione prosternentes. Quod cernens sanctus Bonifacius eundem codicem evangelicum super caput suum posuit et tenuit, pro eius defensione et amore mori paratus. Moxque diaboli satellites sanctum eius verticem gladiis impetentes os eius summum coronae scilicet capitis cum carne et cute, amputarunt, quod adhuc in monasterio loci illius, videlicet in Dockum, conservatur et ostenditur. Similiter codicem euangelicum deiectum ad terram mox particulatim scindere aggressi sunt, intendentes Christianam doctrinam de suis prorsus finibus abiicere. Sed virtus divina sacrum codicem inter tot crudelium manus servavit illaesum et illaceratum. Sic felix Bonifacius cum uno et quinquaginta fratribus martyrio coronatur, anno salutis nostrae viiclv (*), nonis Iunii, postquam Traiectensem rexisset ecclesiam xvi annis.

De Divina ultione in interfectores sancti Bonifacii et sociorum eius.

CAP. XVII.

Occisis igitur in Dockum sanctis martyribus, carnifices cuncta, quae eorum erant, diripientes et tentoria destruentes, damnabili praeda laetati sunt. Siquidem thecas

(*) De anno mortis BONIFACII, vide BUCHELIUM, l. l.

librorum et capsas reliquiarum auferentes, et magnam in eis auri argentique copiam inclusam credentes, diligenter conservabant. Sed et naves, quibus quotidianus clericorum et puerorum inerat victus, intrantes omnia asportarunt cum vasculis aliquot vini studiose obseratis. Cum quibus recedentes, in loco apto se proiecerunt, et residentes cum panes, ut comederent, apprehendissent, in saxa versi sunt et lapides, qui adhuc ibidem in claustro servantur. At vero dum reseratis vinorum claustris adamatum comperissent contineri liquorem, suam gulosam expleverunt ingluviem, et quum inebriati invicem tractarent de praedae spoliis dividendis, de auro videlicet et argento non visis, neque etiam existentibus, Dei omnipotentis nutu discordia inter eos exorta est, in tantum, ut in duas irent partes, qui magno furoris incendio in sese invecti, armis et gladiis, quibus sanctos peremerant, invicem ceciderunt. Tunc magna turbae insanientis parte prostrata, superstites proruunt ad somniatum thesaurum, et confractis librorum repositoriis, pro auro et argento divinae scientiae volumina et chartas repererunt. Itaque non invento, cui inhiabant, metallo insanientes, codices, quos invenerunt, alios per campi planitiem disperserunt, alios in arundinetum proiecerunt, alios in diversis quibuslibet locis abscondentes abiecerunt. Triduo autem expleto post sanctorum necem satrapa quidam ulterioris Frisiae christianus, audita indigna nece sanctorum, cum pluribus bellatorum veniens, adiunctis sibi vicinis christianis, flumen Lavicum traiecit, et omnes pagos illorum perfidorum carnificum depopulatus est. Et universos indigenas in ultionem sanctorum alios trucidarunt, alios eliminatos a patria propulerunt. Sic impii carnifices vitam simul cum patrio solo et substantia perdiderunt. Sic omnipotens mundi conditor ulcisci se voluit de inimicis, et fusum pro se sanguinem sanctorum consueto iustitiae zelo punire. Porro libri, qui ab impiis fuere dispersi, vel etiam

demersi et absconditi meritis sancti Bonifacii martyris longe post tempore illaesi et intemerati reperti sunt. At vero Christi fideles nonnulli collectis raptim xiii sanctorum corporibus transierunt navigio Alcmere flumen, et venientes Traiectum sepelierunt ea in ventre ecclesiae sancti Salvatoris, denec a Lullo Maguntinae ecclesiae episcopo missis legatis in Fuldensi monasterio (quod ipse sanctus martyr Bonifacius in Buchonia silva anno Domini viicxlii fundaverat), translata sunt.

De miraculosa eruptione fontis, qui usque hodie in templo divi Bonifacii in Dockum cernitur.

CAP. XVIII.

In loco ubi quondam pretiosus Christi martyris sanguis effusus est, cum Frisones collem aggesta terra exaltarent propter ledonis et malinae (*) frequentes irruptiones ex maris aestu quotidiano provenientis, ubi et ecclesiam exstruere et servorum die habitacula collocare proponebant, in se reversi Frisones disputare coeperunt super defectum lymphae dulcis, qua loci illius habitatores servi Dei opus habituri essent, cuius penuria pene per totam Frisiam tam hominibus, quam iumentis non parvam gignit difficultatem. Tunc unus, Deo volente, Abbo nomine praefectus terrae Pippini regis constitutione, sumptis secum collegis, equum ascendit; cum quibus girato collo et tumulo inspecto, qui iam perfectus erat, repente cuiusdam pueri caballus pedibus anterioribus terrae infixis et cruribus nutantibus rui-

(*) *Ledo* (*lida*, *ledona*, *lidona*) minorem, *malina* majorem vim denotat fluctuum in litus proruentium. Cf. Vossius, *De vit. serm. Lat.*, p. 233, 234.

nam penitus minabatur. Mox hi, qui agiliores erant, descensis suis propere caballis, equum terrae inhaerentem extraxerunt, statimque fons limpidissimus praeter consuetudinem patriae prorumpebat, mirae suavitatis, gustu potantes oblectans. Qui per incognitos meatus transiens adeo profluus fiebat, ut iam rivus maximus videretur. Quo obstupefacti miraculo exsultantes, ea, quae viderant, ubique divulgaverunt, glorificantes inde Deum. Haec omnia sumpta sunt ex legenda veriori sancti Bonifacii martyris. Est hodie in loco ubi sanctus Bonifacius cum suis sociis martyrium passus est, nobilis constructa ecclesia cum monasterio, cui nunc canonici praemonstratenses deserviunt. Quam tamen olim canonicos regulares tenuisse crediderim, eo quod sanctus Willibrordus primus episcopus Traiectensis cum suis sociis, et sanctus Bonifacius xiii annis cum eo ante episcopatum suum, et episcopi Traiectenses multo tempore post eos, sub habitu et regula canonicorum regularium Traiecti in monasterio (teste Marcelino in legenda sancti Swidberti) degerunt, et ab ipsis primo inhabitatum videtur hoc monasterium in Dockum, uti luce clarius ex multis scriptis episcoporum Traiectensium videri possit. Videtur etiam hoc monasterium in Dockum primum et vetustissimum esse totius Frisiae, quia haud multo post mortem sancti Bonifacii fundatum apparet. Scribet enim sanctus Rixfridus, septimus episcopus Traiectensis, in quadam epistola ad sanctum Ludgerum primum episcopum Monasteriensem sic: Penes nos in nostro monasterio Frisiae in vico Dockum in quo beatus Bonifacius secundus Traiectensis ecclesiae archiepiscopus cum quinquaginta uno fratribus martyrium pertulit, etc. Et infra in eadem epistola dicit sic: Admonitione et exhortatione fratrum conventus Traiectensis et praecipue fratrum in Dockum ad tuam fraternalem dilectionem fidissimum habeo accessum. Ex his sancti Rixfridi episcopi (qui floruit anno Domini viiic) verbis, suo tempore hoc fuisse

monasterium clare liquet, et eiusdem etiam ordinis fuisse cum conventu Traiectensi, qui teste sancto Marcelino (ut dictum est) erant canonici caenobitales seu regulares. Continentur etiam in ista ecclesia et monasterio multae sanctorum reliquiae, videlicet triginta novem corpora horum sanctorum martyrum. Quia (ut superius dictum) corpus sancti Bonifacii cum duodecim aliorum sociorum eius asportata fuerunt. Item corona sancti Bonifacii capitis. Item eius casula, alba, manipulus, stola et calix. Item codex evangelicus, de quo in eius legenda legitur. Item eius baculus episcopalis et scyphus argenteus, ex quo bibere consueverat. Item lapides ex panibus miraculose facti, qui adhuc habent colorem panis triticei. Hic subiiciam carmina Alcuini Anglici doctoris ecclesiastici et magistri Caroli magni, de ecclesia sancti Bonifacii in Dockum, sic:

Hic pater egregius meritis Bonifacius almis
Cum sociis pariter fundebat sanguinis undam.
Inclita martyrii sumentes stemmata sacri,
Terra beata nimis sanctorum sanguine dives.
Transvolat hinc victor miles ad praemia coeli
Ultima cespitibus istis vestigia linquens.
Suadeo quapropter curvato poplite supplex,
Tu quicumque legis, terris his oscula fige.
Spes tibi magna fiat lachrimis ascendere coelum
Hinc potuisse [tuis, fultus patronibus istis (*).]
Hic manet ille cruor cuncto pretiosior auro,
Membraque coelesti rore hic perfusa quiescunt.
Adiuvat hinc Paulus doctor, Bonifacius inde,
Haec illis quoniam constat simul aula dicata.

(*) Versum in omnibus exemplaribus mutilum restitui ex *Leben des heiligen* LUDGERUS, *von* P. W. BEHRENDS. *Neuhaldsleben u. Gardelegen*, 1843, pag. 164. Ubi versus ALCHUUINI leguntur, plurimis tamen vitiis inquinati.

De dissensione inter episcopum Coloniensem et Traiectensem de archiepiscopatu ecclesiae Traiectensis.

CAP. XIX.

Eo tempore quo beatissimus Bonifacius Traiectensi praefuit ecclesiae, orta est dissensio inter Coloniensem et Traiectensem ecclesias. Nam archiepiscopus Coloniensis asserebat Traiectensem ecclesiam ad suum spectare metropolitanum, donatione Dagoberti regis Francorum, qui anno Domini vicxlv in Traiecto ecclesiam in honore sancti Thomae apostoli (ut supra in prima parte ultimo capitulo dictum est) aedificavit, et illam ecclesiam Coloniensi episcopo contulit. E contra sanctus Bonifacius episcopus affirmabat ecclesiam suam ad sedem apostolicam pertinere, eo quod Sergius papa sanctum Willibrordum primum archiepiscopum Frisonum consecravit, et ad Frisones convertendos misit, quod et fideliter opere complevit, atque ab illustri principe Pippino de Harstallo ex regali donatione civitatem Traiectensem pro se et suis successoribus impetravit. Verum quidem esse Traiectensem ecclesiam nuper a Dagoberto rege episcopo Coloniensi datam, sed ea conditione, ut gentem Frisonicam ad fidem Christi ipse converteret, quod minine fecit. Imo potius Frisones ipsam ecclesiam funditus destruxerunt. Et ideo quia conditionem, a rege adiectam non servavit, donationem illam regiam invalidam esse. Huius dissensionis causa literas scripsit sanctus Bonifacius ad Stephanum Romanorum pontificem hunc modum continentes.

EXEMPLAR EPISTOLAE.

Diligendo Domino, apostolatus privilegio, Stephano papae Bonifacius legatus Germanicae et apostolicae ecclesiae optabilem in Christi charitate salutem.

Tempore Sergii, apostolicae sedis pontificis, venit ad limina apostolorum vir mirae abstinentiae et sanctitatis nomine Willibrordus, aliter Clemens dictus, quem papa praefatus episcopum ordinavit, et ad praedicandum genti paganae Frisonum in littoribus Oceani occidui transmisit. Qui per quinquaginta annos praedicans magna ex parte dictam gentem ad fidem catholicam convertit, destructisque delubris, et ecclesiis constructis, sedem episcopalem in honore sancti Martini, et basilicam sancti cruci dedicatam in loco et castro, quod Traiectum dicitur, constituit. Ubi praedicans, usque ad debilem senectutem mansit, et finitis longaevae aetatis diebus in pace migravit ad Dominum. Princeps autem Francorum commendavit mihi sedem illam ad constituendum et ordinandum episcopum, quod et feci. Nunc autem Coloniensis episcopus eam sibi usurpat, et ad se pertinere dicit, ratione cuiusdam capellae a Dagoberto rege Francorum in honore sanctae Thomae apostoli fundatae, et Coloniensi episcopo ea conditione commendatae, ut Frisones converteret et eorum foret praedicator, quod ipse non fecit. Nam eadem gens pagana permansit usque ad praedicationem sancti Willibrordi, qui hoc per Dei gratiam et apostolicae sedis auctoritatem coepit et usque ad finem vitae continuavit. Ipse autem Traiectum veniens praedictam capellam sancti Thomae usque ad solum dirutam inveniens a paganis, proprio labore reaedificavit. Nunc autem Coloniensis episcopus vult eam sibi contrahere subiiciendam, et non Romano pontifici. Respondi autem ipsi nuper, quod potius fieri deberet ut ordinatio apostolicae sedis Sergii papae, et legatio venerandi Willibrordi praedicatoris maneret in vigore; quia magna pars gentis Frisonum adhuc pagana est, et nonnullae destructae ecclesiae et loca consecrata profanata. Sed ipse non consentit. Verum si volueris, sic nos adjuvare poteris, si de scrinio Romanae ecclesiae exemplar nobis transmittere digneris, continens tenorem

legationis et auctoritatis commissae sancto Willibrordo, postquam ordinatus esset ab eo, ut sic contradicentes revincere et superare valeam. Sin autem aliter tuae videtur sanctitati, id mihi insinuare non graveris.

Huius epistolae nondum expleto negotio, nec responso accepto, beatus Bonifacius vitam martyrio consummavit. Post cuius necem Traiectensis ecclesia adhuc rudis et tenuis metropolitana dignitate caruit, quoniam adversus Coloniensem ecclesiam magnis opibus abundantem de caetero stare non potuit. Tota insuper Traiectensis diocesis post non longum tempus Danis irruentibus et grassantibus depopulata est. Quapropter urgente magna necessitatis inopia episcopi Traiectensis Romanam curiam pro suo iure persequendo adire non valentes, susceperunt a vicino archiepiscopo, scilicet Coloniensi, simplicem benedictionem, sicut abbates, sine mitra pontificali longo tempore celebrantes, per annos fere cccxxiv.

De praedicatione Gregorii tertii episcopi Traiectensis et beati Willehadi primi episcopi Bremensis per Frisiam. Et beatus Willehadus in Dockum habitavit.

CAP. XX.

Mortuo sanctissimo Bonifacio martyre et secundo archiepiscopo Traiectensi successit ei in episcopatu Traiectensi beatus Gregorius, vir doctus et sanctus; quem Bonifacius ante mortem suam sibi successorem ordinaverat. Qui praedicationem Christianae fidei, per sanctos decessores suos Willibrordum et Bonifacium episcopos in Frisia coeptam, studiose secundum gratiam a Deo sibi datam continuavit.

In tantum ut sanctus Marcelinus presbyter, ad eum scribens, ipsum Frisonicae gentis praedicatorem eximium nominet. Sed et pater miseriordiarum et Deus totius consolationis, volens omnes homines ad agnitionem sui pervenire, providit sancto Gregorio episcopo praefato de fideli praedicatore et strenuo, qui ipsi in Frisonum conversione diligenter collaboraret. Nam ut scribit beatus Anscharius secundus episcopus et primus archiepiscopus Bremensis, quod fuit vir venerabilis de gente Anglorum nomine Willehadus, qui factus presbyter, audivit Frisones et Saxones, hactenus incredulos et paganos, relicta idolorum cultura, fidei catholicae iam coepisse ambire mysteria. Hoc itaque audito, vir Dei magno repletus est gaudio et inhianter quaerere coepit, qualiter pro Dei amore illas in partes se transferre posset. Quare divino institutus spiritu, accessit ad regem Angliae nomine Alachart, indicans ei, quo zelo Dei accensus esset, petiitque ut eius permissu atque licentia ad praedicandum verbum Dei Frisiam et Saxoniam sibi adire liceret. Rex vero, comperta eius sanctissima voluntate, convocato ad se episcoporum et aliorum servorum Dei non minimo conventu, eum ad praedictam causam praedicandi verbum Dei destinavit. Qui quantocius mari transmeato venit in Frisia, ad locum qui dicitur Dockinghae, qui est in Oestergoe, ubi dominus Bonifacius episcopus iam dudum martyrio coronatus fuerat. Ibi ergo quoniam per praedicationem praedicti martyris multi antea ad fidem instructi fuerant, cum magno honore ab eis susceptus, ibique docens ea, quae Dei sunt, multo tempore habitavit. Nam et plurimi nobilium infantes suos ipsi ad erudiendum ibidem tradiderunt. Quos ille tam verbo, quam exemplo piae conversationis ad divinum iugiter incitabat amorem. Multosque errantes olim a fide, ad veram et catholicam revocavit scientiam, seque maximum lumen supernae claritatis eodem in loco exhibuit. Gentilium quoque quam plurimam catervam

verbo sanctae praedicationis instructam ibidem baptizavit. Inde procedens transiit fluvium Lavicam, venitque ad locum qui dicitur Hugemerka, ibique barbaris coepit praedicare nomen Domini, ac persuadere, ut relicta idolorum superstitione unius veri Dei notitiam susciperent, insanumque esse ac vanum a lapidibus auxilium petere, et in simulachris multis ac surdis sperare salutem. Quo audito gens fera et idolatriis nimis dedita, irati omnes stridebant in eum dentibus dicentes: Non debere profanum hunc diutius vivere, imo reum esse mortis, qui tam sacrilega contra Deos suos invictissimos praesumsisset proferre eloquia. Quidam tamen inter eos saniori consilio suadebant caeteris, ignotam sibi esse religionis viam, utrum ex Dei voluntate sit proposita, virum quoque illum nulli obnoxium crimini, ideoque in retam dubia nec subito dandum neci. Quapropter inito consilio dimiserunt illum a se liberum abire, et pergere quo vellet, sicque transiens venit Trentam, ubi diutius immorans et crebro evangelizans, credidit gentilium plurima multitudo. Deinde iussu Caroli magni Francorum ad Saxones divertit. A quo et primus Bremensis episcopus est constitutus; ubi post multos labores plenus dierum et bonorum operum est mortuus. Mortuus est sanctus Gregorius tertius Traiectensis episcopus anno Domini viicxviii, cui in episcopatu successit Aelbricus natione Anglicus, qui factus est quartus episcopus Traiectensis. Post transitum igitur sancti Willehadi, cum plures adhuc in Frisia idolorum cultui dediti, in fide Christi neophytos ad profanam idolorum culturam retrahere conarentur, providit benignus Dominus Deus populo suo Frisonico ex propria eorum natione strenuum praedicatorem et idoneum nomine Ludgerum. Hic, quasi alter Samuel, a ventre matris videtur Domino consecratus; tantae quippe erat innocentiae tantaeque sanctitatis. Cuius gesta strictim hic subiicere libet, ut eo facilius ad plurimorum perveniat notitiam maxime autem Frisiorum. Qui

ab ipsis duplici iure prae caeteris sanctis merito est honorandus, quia non solum Frisios ipse, uti sanctus Willibrordus et alii, Christo Iesu per evangelium genuit, sed et in Frisia et ex Frisio genere natus est.

De sancto Ludgero et parentibus eius, et quomodo primo Gregorio episcopo Traiectensi, deinde Alcuino in Anglia literis imbuendus mittitur.

CAP. XXI.

Beatus Ludgerus in pago Frisiae qui dicitur Wierum non procul a Dockingae, nunc Dockum, in Dongerdeel, ex nobilibus et christianis parentibus est ortus; cuius pater dicebatur Tyatgrimus sive Tiardt, mater vero Liafburgh. Quem, postquam gratia Dei pariter et corpore accrescens adolescentiae aetatem attigisset, miserunt parentes ad Gregorium conventus Traiectensis abbatem, postmodum tertium eiusdem ecclesiae episcopum, literis sacris imbuendum. Brevi itaque tempore Ludgerus seculari statui abrenuntians, tonsura suscepta, se totum in Traiectensi monasterio ad divinum officium convertebat. Ubi successu temporis accolytus, et deinde subdiaconatus est ordinibus initiatus. Eo tempore, quo beatus Gregorius praefatus Traiectensem regebat ecclesiam, venit ex Anglia quidam sacerdos nomine Aelbricus, ad Christi nomen Frisonum et Saxonum gentibus praedicandum, Traiectum missus. Cuius scientia et moribus vir Dei Gregorius delectatus, eum sibi coëpiscopum fieri instanter postulavit. Ad haec cum se Aelbricus nullo modo tale tantumque officium, nisi id ei per suum diocesanum iniungeretur, assumere responderet, eundem mox Gregorius cum epistolis ad Angliam remisit, iungens illi

viae comites virum Dei Ludgerum subdiaconum pariter et Sigeboldum diaconum. Erat quippe ea tempestate famosissimus doctor Alcuinus in Anglia, qui postmodum Caroli magni adolescentis fuit praeceptor. Cuius etiam favore idem imperator famosissimum illud olim universale studium de Athenis Romam translatum, ex inde in Francia Parisium transtulit. Hic igitur Alcuinus doctor praeclaram omnium bonarum et ingenuarum artium ac scientiarum scholam in civitate Eboracensium tenuit. Huius confestim familiaritate vir Dei Ludgerus potitus, per annum integrum illius lectioni insistebat. Post anni vero circulum, diaconatus ordine percepto, cum Aelbrico episcopatus apice insignito Traiectum reversus est. Sed non multo post iterum beatus Gregorius misit Ludgerum ad Alcuinum studio literarum imbuendum in Eboracensium civitate. Ubi tres integros annos cum dimidio persistens, nedum sacras utriusque testamenti scripturas revolvit, sed et ingenuas artes bonasque scientias literaturae secularis pervidit. Fuitque ipsi Alcuino magistro suo ac omnibus condiscipulis honorabilis et acceptus. Porro diutius illic Ludgerus perstitisset, nisi quadam tristis facti occasione praepeditus, inde cedere coactus fuisset. Accidit namque quod in contentione exorta cuiusdam comitis filius in civitate Eboracensium a quodam Frisone occideretur, unde civitas iniuria mota ultionem in omnes Frisones illic convertit; unde etiam negotiatores ex Frisiae partibus negotiationes suas intermittere, seque clam substrahere cogebantur. Alcuinus autem de Ludgero sollicitus, adiuncto sibi uno diaconorum suorum, una cum aliis mercatoribus clam inde Traiectum remeare fecit.

Beatus Ludgerus aedificavit ecclesiam collegiatam in Daventria, et factus est septem annis pastor in Dockum.

CAP. XXII.

Interim ex Anglia venit quidam sacerdos, ex antiquis Frisonibus in Anglia oriundus nomine Liafwinus, qui et Lebuinus, ad episcopum Traiectensem, dicens a Domino sibi praeceptum, ut in confinio Francorum atque Saxonum secus flumen Iselam plebi in doctrina prodesse deberet. Tunc Gregorius episcopus direxit eum Daventriam, ut illic fidem, quam dudum a beato Marcelino presbytero acceperant, corroboraret et ampliaret. Seminabat ergo ibi beatus Lebuinus documenta salutis, feceruntque ei fideles oratorium in occidentali parte fluminis, in loco qui vocatur Wilp. Post haec etiam ecclesiam aedificaverunt in orientali littore fluminis in loco qui vocatur Daventria. Quam ecclesiam non multo post Saxones et Westphali, fugatis fidelibus, combusserunt igne. Deinde Lebuinus, ad propria reversis praedonibus, reaedificavit ecclesiam combustam, et ibi docens defunctus et sepultus est in ea. Post mortem sancti Lebuini impii Saxones iterum vastaverunt locum illum et succenderunt ecclesiam, populumque ad infidelitatem coëgerunt. Interim etiam sanctus Gregorius tertius Traiectensis episcopus migravit ad Dominum, et suscepit curam pastoralem Aelbricus, factusque est quartus episcopus Traiectensis, anno Domini viiclxviii. Iste igitur misit sanctum Ludgerum trans Iselam reaedificare ecclesiam Daventriae a Saxonibus dirutam et convertere populum ad fidem catholicam: Quod fideliter fecit, et ecclesia, quam ipse aedificavit, permansit, et facta est Canonisia Regularium. Istiusmodi sancti Ludgeri diaconi industria et successu in loco Daventriae animatus Aelbricus, maiora per illum facere disposuit.

Unde mox ipsum destinavit in Frisiam ad deorum fana et idolorum simulachra destruenda; plurimi enim erant ibi adhuc gentilium superstitionibus dediti. Igitur Ludgerus assumtis secum nonnullis fratribus ex conventu Traiectensi illuc concito perrexit. Ubi cum gratia Dei et virili constantia nomen Christi praedicans populum durum instruxit, ac cum mirabili sagacitate templa cum deorum idolis absque omni contradictione coram ipsorum cultoribus destruxit, et in Christi ecclesias commutavit. Tunc Aelbricus antistes beatum Ludgerum sacerdotii gradum percipere fecit, quia hactenus in levitarum officio ministraverat. Et quia Frisonum gens eo adhuc tempore multum in fide erat rudis, igitur antistes Aelbricus constituit ipsum Ludgerum iam Christi sacerdotem in pastorem ecclesiae in pago Dockum in Oestergoe, eo quod ipsum noverat fidei puritate ac doctrinae facultate pollentem, et ob suorum parentum atque cognatorum gratiam, qui illic spectabiles habebantur. In quo quidem loco dudum (ut supra diximus) beatus archiepiscopus Bonifacius cum consociis suis martyrio fuerat coronatus. Dignus quippe tali loco sacerdos, aut locus tanto sacerdote. Locus, inquam, qui tanti est martyris sanguine dedicatus, tantum erat dignus habere pastorem. Ita vicissim vel locus sacerdotem, vel locum sacerdos commendat. Quo in loco septem continuis annis Frisonibus ferventissime praedicabat, utpote suae nationis salutem ardentissime sitiens.

Infideles Saxones Frisiam igne et ferro vastando omnes fere Frisones ad pristinum errorem redire coëgerunt.

CAP. XXIII.

Circa haec tempora inclytus rex Carolus magnus continuo

et duro contra infideles Saxones bello dimicabat. Haec autem gens pertinacissimi erat animi, adeo ut eam pius rex haud aliter, quam vi armorum, gladio ac bello, ad verae fidei et salutis viam dirigere potuit. Unde gravissimis proeliis triginta tribus annis contra eos dimicando edomuit. Nullos etiam illa gens neque reges, neque principes ante ea tempora habuisse legitur, sed dum eis aliqua belli necessitas ingruisset, aliquem virum electum de plebe in *belli* ducem extulerunt, cui per id tempus parebant et sequebantur. Erat igitur tunc temporis apud Saxones vir quidam vi quidem armorum et militari prudentia insignis, verum impius et perfidus idolatra, nomine Wedekinus. Hic ab infidelibus Saxonibus in principem belli electus, valde infestabat Christianos, non solum, qui intra Saxoniae provinciam, sed etiam qui in circum vicinarum terrarum loca morabantur; nunc hos, nunc illos igne et ferro vastando. Sic igitur hoc tempore Saxones duce Wedekino Frisiam irrumpentes cuncta caedibus incendiis et rapinis implevere, Christi templa destruendo, et quosque fideles aut iugulando, aut expellendo. In tantum quod maiorem partem Frisiae ad usque terminos occidentalis ripae fluminis Flevi a vera Christi fide ad pristinum errorem deficere fecerunt. Sub qua etiam dolorosa persecutione venerandus antistes Aelbricus episcopus Traiectensis supra memoratus ex hac luce migravit, cui Theodardus, alias Titardus, natione Friso quintus Traiectensis episcopus successit anno Domini viiclxxx. Igitur vir Dei Ludgerus videns omnem ferme suum laborem in Frisiis periisse, nullam spem proficiendi nulliusque fructus locum, cunctis sibi adversum resistentibus, doluit valde. Assumpto itaque fratre suo Hildegrimo, qui natu erat minor, pariter et Gerberto, dulcem patriam suam Frisiam moeste deserens perrexit Romam. Quo cum pervenisset benigne a summo pontifice susceptus, omnia, quae voluit, faciliter impetravit ab eo. Deinde

sanctus Ludgerus cum comitibus suis de Roma progrediens, secessit Beneventum in montem Cassinium, ad monasterium sancti Benedicti. Et quia illius tunc loci abbas nomine Dithmarus ex Frisia oriundus beati Ludgeri propinquus erat, idcirco cum maiori humanitate et honore susceptus est, et mansit in eodem monasterio annis duobus cum demidio. In quo nec grave ullum aut maximum, aut minimum reliquit intentatum, donec in omnibus illius ordinis observantiis ac ceremoniis regularis vitae ad plenum esset instructus. Interim dum Ludgerus esset apud monachos Cassinensis, contigit, Carolum imperatorem debellatis Saxonibus, omnibusque Christianis (infidelibus expulsis) ad propria reductis, in ea Francorum regione, quae Frisiae est contigua, consistere. Ubi cum Alcuino, qui tunc ex Anglia ad Carolum in Franciam venerat de praelatis sui regni verba faciens, Alcuinus Ludgerum, olim discipulum suum, apud regiam maiestatem studuit commendare. Qui continuo missis nuntiis Beneventum, eum ad se venire mandavit. Unde Ludgerus valedicens fratribus, Aquisgranum pervenit, ubi ab Alcuino laetissime est exceptus, et deinde ad conspectum regis Caroli ductus. Quem cum Pius rex in cunctis propemodum considerasset, et cuncta in eo maiora comperisset, quam ab Alcuino audierat, mox ei episcopatum Trevirensis ecclesiae (ubi tunc episcopo defuncto ecclesia ipsa vacabat) porrigere voluit. At vero Ludgerus vir humillimus tantae dignitati se nequaquam dixit sufficere. Sed si rex omnino sibi praeciperet alicui prodesse populo, potius ipse in terram suam Frisiae auctoritate praecipue regia auctus ire mallet.

De conversione terrae Frisiae ad orientem Lavicae fluminis, quae nunc vulgo terra Groningensis dicitur.

CAP. XXIV.

Fuerunt igitur eo tempore in occidentali Frisia quinque populi cum insula, quae Bant dicitur, qui fidem Christianam nondum susceperant, quorum haec fuerunt nomina. Hugemertzea, Hunusegonia, Friviligonia, Emisgonia, Redergonia, ab orientali parte fluminis, quod Lauica, et vulgo die Lauwerzee nuncupatur, et illic ultra constituti. Hi omnes divina aspirante gratia, missis legatis ad Carolum magnum, spondebant se Christianam accepturos fidem, dum eis rex quempiam mittere dignaretur, a quo fidem ediscerent, cuiusque loquelam intelligerent. Misit ergo rex ac praefecit eis beatum Ludgerum, qui non solum Frisonicam linguam perfecte norat, utpote Friso ex utroque parente natus, ac in Frisia nutritus et educatus, sed et Latinam, Germanicam, Gallicam et Anglicanam perpulchre callebat. Qui ibidem brevi admodum tempore omnia idolorum fana destruens, ea in Christi ecclesias commutavit. Huius fidei testes sunt usque hodie populi eiusdem regionis, ubi omnem (ut adhuc est in memoria) populum, qui est inter Lavicam et Amasum flumina, per evangelium et baptismatis lavacrum in Christo regenerans ad veritatis agnitionem vocavit.

Fostilandia sive terra Foseta, quae nunc Heligerlandia dicitur, per sanctum Ludgerum ad Christum convertitur, et credo quod nunc dicitur Gotlandt.

CAP. XXV.

Est autem insula in ipso Frisonum atque Danorum confinio constituta, quae a quodam Foseto (quem errore gentili incolae deum credebant) dicebatur terra Fosetana, et iam Heligerlandia esse creditur, de qua habes etiam supra quarto capitulo. Ad quam vir Dei, Domini voluntate, praedicationis gratia transfretavit. Cui cum iam navigando non procul abesset, et sancta cruce, quam penes se semper gerere solebat, in manibus suis sumpta, illum diceret psalmum Davidicum lxvii. Exsurgat Deus et dissipentur inimici eius et fugiant, qui oderunt eum a facie eius etc. Ecce omnes, qui secum in ipso navigio erant, tenebrosam viderunt caliginem instar fumi super ipsam insulam exsurgere, qua deinde paulatim recedente serenitas clara illuxit, unde vir Dei intelligens gratiam divinam illic sibi praeviam daemones omnes fugasse, gratias Deo egit, atque insulam ingressus verbum Dei ardentissime evangelizare coepit. Ubi in brevi divina comitante pietate totam illam terram Christo convertit, Fosetum et fana destruxit, et Dei ecclesias construxit. Et credentes omnes baptizavit in illo fonte illic ebulliente, in quo olim beatus Willibrordus tres homines baptizaverat. In primis vero terrae illius princeps Christo credidit, ac omnium primus baptismatis fontem ingressus est. Insuper et filium suum Landricum nomine beato Ludgero de sacro fonte levandum obtulit. Quem etiam idem Ludgerus, cum postea episcopus factus esset, literis imbutum in sacerdotem consecravit. Qui postea multis annis genti Frisonum in doctrinae studio praefuit.

De visione sancti Ludgeri in somnis praesaga futurorum malorum in Frisia perpetrandorum per Nortmannos.

CAP. XXVI.

Cumque sanctus Ludgerus post multos fructiferos labores ad proprium solum rediisset, et esset quodam in loco nativitatis suae, qui dicitur Wierema (*) (seu Frisonice Wierum), ubi in haereditate sua ecclesiam construxerat, et ibidem monasterium fundare decreverat, vidit in somnis visionem, quomodo Dominus post sua tempora malorum hominum iniquitates per Nortmannos ulturus esset. Vidit namque quod a borealibus per mare partibus caliginosae quaedam teterrimaeque nubes exsurgerent, quae paulatim magis ac magis increbrescerent, et sua tandem mole ingruentes solem insequerentur, ipsumque a maritimis Frisiae locis ex intuentium oculis penitus abducerent, unde sic toti Frisiae ingens caligo horribilesque tenebrae ingestae fuerint, et immanis habitatores timor perculerit. In quo moerore dum sic aliquamdiu persisterent, sol se tandem ex austro recuperans, vi sua tenebras invadere atque sensim radios quamvis pallidiores emittere videretur, donec ad pristinum reversus locum detersa caligine rursum universas nubes penitus trans mare abegerat. Quam visionem dum vir Dei mane animo suo perpenderet, se non vanum vidisse somnium, sed veram futurorum prophetiam superne revelatam credidit, magna ex uberans moestitia illacrimatus est. Unde cum soror eius Heriburga, quae tunc secum illic erat, causam tantarum lacrimarum exquisivisset, respondit: Carissima soror, gravissimum hae nocte somnium videre mihi visus sum, quod totum cor meum dolore con-

(*) Prima manu scriptum erat *Wertina*.

cussit. Quoniam quidem monasterium in loco hoc nostro genitali cogitaveram construere, sed hoc nequaquam pro mea voluntate hic fieri posse revelata in somnis visione hac nocte didici; venient enim dies, ut Nortmannorum gentes ex septentrionalibus partibus per mare ad has nostras terras se transferent et instar caliginosarum nubium eis paulatim irrumpent, et depraedabuntur, ac tandem gravissima persecutione ingruentes devastabunt. Sed et fidem Christianam tanquam solis lucem obumbrabunt, et insequentur, totamque ex cordibus credentium disterminabunt. Quam tamen Dominus sua miseratione ad servos suos reversurus luci pristinae, licet pallidiori, restituet, et ab australibus populis pacem reparabit. Ad haec autem cum Heriburga, audita genitalis soli desolatione, simul cum eo fleret, et se non tantis malis reservari, sed vel antea de hac vita tolli deprecaretur: non ita (inquit ille) erit, o soror mea. Ego autem ista temporibus meis non videbo, tu vero mihi supervictura es, et omnes istas tribulationes post me videbis. Siquidem iuxta sancti Ludgeri prophetiam temporibus suis tanta ibi erat pax, ut ne ullus quidem tanta unquam mala superventura ibi suspicaretur de Nortmannis. At vero anno secundo post sancti viri decessum, eadem sicut praedixerat, surgere continuo coeperunt, ut in suis locis dicetur. Qua in re considerare diligentius libet, quantae sanctitatis et meriti vir iste apud Deum fuerit, cui superventura mala ostendit, et tamen in diebus suis haec evenire noluit. Igitur cum Domini voluntatem intentius exorando perquireret, quo in loco monasterium tuto aedificare posset, revelatum est ei divinitus, locum electum fundando monasterio esse in saltu quodam iuxta flumen dictum Rura. Qui mox assumptis viae comitibus ad ostensum sibi a Deo locum properans, aedificationem ordiri coepit, quod postea episcopus factus implevit, vocavitque illud Werdena.

De episcopatu et morte sancti Ludgeri primi episcopi Monasteriensis, et de laudabili facto Caroli magni imperatoris et eiusdem Ludgeri.

CAP. XXVII.

Itaque victoriosissimus Carolus magnus rex, iam tunc rebellium Saxonum victor Ludgerum virum Dei ipsis in parte occidentali Saxoniae praefecit, in qua illi Mimigavordensis nunc Monasteriensis ecclesiae episcopatus committitur, quem tamen annis duodecim sine ordine episcopali administravit. Quia enim noverat dixisse apostolum, qui episcopatum desiderat bonum opus desiderat, opus quidem episcopi pro viribus exercere coepit, gradum autem accipere renuit, ita quod oneris erat suscipiens, quod honoris declinans. Tandem nolens diocesim suam sine episcopo esse, et cum nec ipse vellet fieri, cogitavit et postulavit aliquem eorum, quos ipse enutrierat pro se gradum suspere episcopalem. Quod cum Hildeboldus Coloniensis archiepiscopus annuere nollet, episcopatum invitus suscepit, atque primus Monasteriensis episcopus ordinatus est. Hunc virum Dei cum aliquando Carolus imperator, cognomento magnus, ad se pro quadam reipublicae utilitate vocasset, iuxta palatium manere praecepit. Quum primo mane misso cubiculario rex ad se venire praecepit ei, hora ad persolvendum ex more pensum horarum cum suis instabat, atque his expletis venturum se nuntio respondit. Quod cum regi retulisset, et ille venire tardaret, secundo quoque ac tertio ad accersendum eum misit; sed ille omnino venire distulit, donec coeptam psalmodiam consummaret. Qua finita quum ante regis conspectum venisset, interrogatur, cur imperium eius contemnens venire distulisset. At ille vultu constanti animoque intrepido: Ego (inquit), imperator, tuum ita semper in omnibus praeceptum exsequendum putavi, ut tamen

Deum ubique tibi praeferendum non dubitarem, quem omnibus anteponendum omnes norunt, omnes fatentur, hoc enim et mihi ipse praecepisti, quando pastorale onus mihi imponebas, ut Deo primum serviendum scirem, deinde tibi, quod et nunc feci. Nam Deum tibi et cunctis in terra mortalibus praeponendum non ambigo; neque tuum esse credidi, quod huic iussioni et perspicacissimae rationi contrarium esset. Ideo non ad regiae potestatis inhonorationem et contemptum, ut malevoli criminantur, sed propter tuam salutem, quae Deo debebam exsolvere, cûrabam et ita consequenter ad servitium expeditior veni. Quam eius responsionem rex optimus gratanter amplexus: Gratias (inquit) habeto, episcope, quia qualem te esse credidi semper, talem nunc expertus sum. Et quidam fuerunt, qui hoc tuum factum ad meam traherent iniuriam, sed hos utpote sanctitatis tuae invidos minus gratos habebo. Tu, ut semper fecisti, Dei semper voluntatem operare, et simul nobis devotus ac fidelis pro nostri imperii statu orare memento. O quam imitabile tam in sacerdote sacerdotibus, quam in rege regibus exemplum. Discant a sacerdote sacerdotes regibus et principibus honorem (*), discant ita illis obtemperare, ut divinum non negligant servitium. Discant reges a rege nemini suum officium exsequenti irasci, discant sacerdotibus divina praecepta servantibus non contraire. Sciant sacerdotes sic regibus honorem exhibere, ut Deum semper praeponant; sciant reges ita se hominibus in negotiis mundialibus esse praepositos, ut modis omnibus Deo in Christiana religione subiiciantur. Mortuus est autem vir Domini Ludgerus Monasteriensis protoëpiscopus, post multorum infidelium ad Christianam religionem conversionem, multarumque in Dei nomine virtutum operationes, anno Domini viiicix, vii calendas Aprilis, anno

(*) Post *honorem* excidisse videtur *exhibere*, v. s. q.

regni gloriosi regis Caroli magni, ex quo rex Francorum fuit xli, ex quo Augustus viii, nec non pontificatus Leonis tertii anno xiv, et postquam sedem Monasteriensis ecclesiae annis ferme xxiv laudabiliter gubernaverat. Sepultus est in Werthinensi monasterio, quod ipse fundaverat in Marcania iuxta fluvium Rhuram ordinis sancti Benedicti.

De ortu et conversatione sancti Frederici episcopi octavi Traiectensis.

CAP. XXVIII.

Sanctus Fredericus octavus Traiectensis ecclesiae episcopus in Sixtibierum prope Franecker, de castro Aedelen ex nobilibus parentibus est natus, cuius cognatio in hodiernum usque diem inter nobiles Frisiae non postrema habetur. Porro mater sancti Frederici (ut in quibusdam haud contemnendis legitur chronicis) dicta Konewella, filia fuit Aldigilli regis Frisiae filii Radbodi regis superscripti. Cuius Konewellae fratres erant Gondebald rex Frisiae, qui cum fortissimo Rolando in Roncevallo interfectus est, et Radbodus dominus inferioris seu occidentalis Frisiae, a quo orti dicuntur domini Egmondenses. Hunc itaque Fredericum mater eius in prima aetate quibusdam religiosis committens, rogavit, ut eum sanctae religionis docerent semitam, malique vitare consuetudinem. Deinde patre licet invito, simul tamen eunte, Traiectum usque perduxit, et Traiectensis ecclesiae pontifici Rixfrido commendavit. Episcopus autem spiritu praevidens prophetico, quod in pontificali regimine post mortem sibi deberet succedere, quasi filium et heredem liberalibus simul et ecclesiasticis ad liquidum fecit imbui doctrinis.

Erat enim verus Israhelita, in cuius spiritu nullus nutriebatur dolus; neminem laedebat, neminem defraudabat, nemini quod sibi fieri noluit fecit. Idcirco dominus Rixfridus cum talibus eum fulgere virtutibus videret, nimio repletus gaudio, quod talem mereretur habere successorem, ipsum licet invitum ordinavit presbyterum. Nomen autem eius propter vitae sanctimoniam per universam celebre factum est terram, ita ut etiam regias verberaret aures.

De Ludovici Franciae regis ac Romanorum imperatoris, filii Caroli magni, illicito coniugio.

CAP. XXIX.

Anno Domini viiicxv die xxviii Januarii obiit Aquisgrani Carolus magnus Francorum rex et Romanorum imperator. Cui in regno et imperio successit filius Ludovicus cognomento pius. Cuius prima uxor dicta Ermgarda peperit duos filios Lotharium et Ludovicum. Post mortem autem Ermgardae praescriptae Ludovicus aliam duxit uxorem, filiam videlicet Welphonis ducis Bavariae, Iudith nomine, quae neptis erat ipsi Ludovico, et idcirco illicitum nefariumque ab omnibus Galliae episcopis pronuntiatum est matrimonium; atque post canonicam admonitionem, nisi mulierem dimitteret, excommunicationis sententiam regi minabantur; qui ne excommunicaretur, relicta Gallia in Germaniam venit. Haec idcirco hic obiter narrare duxi necessarium, quia martyrii beati Frederici episcopi causa fuit.

De morte Rixfridi episcopi et episcopatu sancti Frederici.

CAP. XXX.

Haec dum agerentur, moritur Rixfridus episcopus Traiectensis natione Friso, doctrina et sanctitate insignis, anno Domini viiicxxi quinto die mensis Octobris. Quo honorifice sepulto clerus et populus dicunt se non alium eligere episcopum, quam Fredericum. Interim rex Ludovicus Caroli magni filius (de quo capite praecedenti), qui tunc ne excommunicaretur ab episcopis propter neptem suam, quam in uxorem duxerat, in Gallia manere non audebat, in Germania iuxta Rhenum manebat, comperto Rixfridi episcopi obitu per legatos suos mandavit senioribus ecclesiae Traiectensis, ut beatum Fredericum episcopum acclamarent, et electum ad eius ducerent palatium, nesciens omnem populum eundem iam elegisse. Tunc Fredericus cum senioribus ecclesiae Traiectensis surgens perrexit ad regem. Qui illum accersitis episcopis aliis licet invitum et multum renitentem in sua praesentia iussit ordinari episcopum. Quo peracto imperator clerum et omnes qui aderant nobiles pariter et ignobiles ad suum invitavit convivium, atque propter viri Dei amorem diem illum cum magna laetitia perducebat ad vesperum. Peracto convivio rex secum volvens in animo, se forte propter illicitum connubium in futuro posse a beato Frederico maledici, iussit illum accersiri et coram, qui aderant, episcopis talibus alloquitur dictis: Elegit te, carissime, Dominus sibi in sacerdotem magnum, quia te ad hoc opus cognovit idoneum, ut tua sancta praedicatione populum peccatorem convertas ad Dominum. Est igitur populus tuae diocesis in insula dicta Walachria, in qua (proh dolor) ut ad meas nuper pervenit aures, unus quisque neptem aut quod peius

Erat enim verus Israhelita, in cuius spiritu nullus nutriebatur dolus; neminem laedebat, neminem defraudabat, nemini quod sibi fieri noluit fecit. Idcirco dominus Rixfridus cum talibus eum fulgere virtutibus videret, nimio repletus gaudio, quod talem mereretur habere successorem, ipsum licet invitum ordinavit presbyterum. Nomen autem eius propter vitae sanctimoniam per universam celebre factum est terram, ita ut etiam regias verberaret aures.

De Ludovici Franciae regis ac Romanorum imperatoris, filii Caroli magni, illicito coniugio.

CAP. XXIX.

Anno Domini viiicxv die xxviii Januarii obiit Aquisgrani Carolus magnus Francorum rex et Romanorum imperator. Cui in regno et imperio successit filius Ludovicus cognomento pius. Cuius prima uxor dicta Ermgarda peperit duos filios Lotharium et Ludovicum. Post mortem autem Ermgardae praescriptae Ludovicus aliam duxit uxorem, filiam videlicet Welphonis ducis Bavariae, Iudith nomine, quae neptis erat ipsi Ludovico, et idcirco illicitum nefariumque ab omnibus Galliae episcopis pronuntiatum est matrimonium; atque post canonicam admonitionem, nisi mulierem dimitteret, excommunicationis sententiam regi minabantur; qui ne excommunicaretur, relicta Gallia in Germaniam venit. Haec idcirco hic obiter narrare duxi necessarium, quia martyrii beati Frederici episcopi causa fuit.

De morte Rixfridi episcopi et episcopatu sancti Frederici.

CAP. XXX.

Haec dum agerentur, moritur Rixfridus episcopus Traiectensis natione Friso, doctrina et sanctitate insignis, anno Domini viiicxxi quinto die mensis Octobris. Quo honorifice sepulto clerus et populus dicunt se non alium eligere episcopum, quam Fredericum. Interim rex Ludovicus Caroli magni filius (de quo capite praecedenti), qui tunc ne excommunicaretur ab episcopis propter neptem suam, quam in uxorem duxerat, in Gallia manere non audebat, in Germania iuxta Rhenum manebat, comperto Rixfridi episcopi obitu per legatos suos mandavit senioribus ecclesiae Traiectensis, ut beatum Fredericum episcopum acclamarent, et electum ad eius ducerent palatium, nesciens omnem populum eundem iam elegisse. Tunc Fredericus cum senioribus ecclesiae Traiectensis surgens perrexit ad regem. Qui illum accersitis episcopis aliis licet invitum et multum renitentem in sua praesentia iussit ordinari episcopum. Quo peracto imperator clerum et omnes qui aderant nobiles pariter et ignobiles ad suum invitavit convivium, atque propter viri Dei amorem diem illum cum magna laetitia perducebat ad vesperum. Peracto convivio rex secum volvens in animo, se forte propter illicitum connubium in futuro posse a beato Frederico maledici, iussit illum accersiri et coram, qui aderant, episcopis talibus alloquitur dictis: Elegit te, carissime, Dominus sibi in sacerdotem magnum, quia te ad hoc opus cognovit idoneum, ut tua sancta praedicatione populum peccatorem convertas ad Dominum. Est igitur populus tuae diocesis in insula dicta Walachria, in qua (proh dolor) ut ad meas nuper pervenit aures, unus quisque neptem aut quod peius

Erat enim verus Israhelita, in cuius spiritu nullus nutriebatur dolus; neminem laedebat, neminem defraudabat, nemini quod sibi fieri noluit fecit. Idcirco dominus Rixfridus cum talibus eum fulgere virtutibus videret, nimio repletus gaudio, quod talem mereretur habere successorem, ipsum licet invitum ordinavit presbyterum. Nomen autem eius propter vitae sanctimoniam per universam celebre factum est terram, ita ut etiam regias verberaret aures.

De Ludovici Franciae regis ac Romanorum imperatoris, filii Caroli magni, illicito coniugio.

CAP. XXIX.

Anno Domini viiicxv die xxviii Januarii obiit Aquisgrani Carolus magnus Francorum rex et Romanorum imperator. Cui in regno et imperio successit filius Ludovicus cognomento pius. Cuius prima uxor dicta Ermgarda peperit duos filios Lotharium et Ludovicum. Post mortem autem Ermgardae praescriptae Ludovicus aliam duxit uxorem, filiam videlicet Welphonis ducis Bavariae, Iudith nomine, quae neptis erat ipsi Ludovico, et idcirco illicitum nefariumque ab omnibus Galliae episcopis pronuntiatum est matrimonium; atque post canonicam admonitionem, nisi mulierem dimitteret, excommunicationis sententiam regi minabantur; qui ne excommunicaretur, relicta Gallia in Germaniam venit. Haec idcirco hic obiter narrare duxi necessarium, quia martyrii beati Frederici episcopi causa fuit.

De morte Rixfridi episcopi et episcopatu sancti Frederici.

CAP. XXX.

Haec dum agerentur, moritur Rixfridus episcopus Traiectensis natione Friso, doctrina et sanctitate insignis, anno Domini viiicxxi quinto die mensis Octobris. Quo honorifice sepulto clerus et populus dicunt se non alium eligere episcopum, quam Fredericum. Interim rex Ludovicus Caroli magni filius (de quo capite praecedenti), qui tunc ne excommunicaretur ab episcopis propter neptem suam, quam in uxorem duxerat, in Gallia manere non audebat, in Germania iuxta Rhenum manebat, comperto Rixfridi episcopi obitu per legatos suos mandavit senioribus ecclesiae Traiectensis, ut beatum Fredericum episcopum acclamarent, et electum ad eius ducerent palatium, nesciens omnem populum eundem iam elegisse. Tunc Fredericus cum senioribus ecclesiae Traiectensis surgens perrexit ad regem. Qui illum accersitis episcopis aliis licet invitum et multum renitentem in sua praesentia iussit ordinari episcopum. Quo peracto imperator clerum et omnes qui aderant nobiles pariter et ignobiles ad suum invitavit convivium, atque propter viri Dei amorem diem illum cum magna laetitia perducebat ad vesperum. Peracto convivio rex secum volvens in animo, se forte propter illicitum connubium in futuro posse a beato Frederico maledici, iussit illum accersiri et coram, qui aderant, episcopis talibus alloquitur dictis: Elegit te, carissime, Dominus sibi in sacerdotem magnum, quia te ad hoc opus cognovit idoneum, ut tua sancta praedicatione populum peccatorem convertas ad Dominum. Est igitur populus tuae diocesis in insula dicta Walachria, in qua (proh dolor) ut ad meas nuper pervenit aures, unus quisque neptem aut quod peius

Erat enim verus Israhelita, in cuius spiritu nullus nutriebatur dolus; neminem laedebat, neminem defraudabat, nemini quod sibi fieri noluit fecit. Idcirco dominus Rixfridus cum talibus eum fulgere virtutibus videret, nimio repletus gaudio, quod talem mereretur habere successorem, ipsum licet invitum ordinavit presbyterum. Nomen autem eius propter vitae sanctimoniam per universam celebre factum est terram, ita ut etiam regias verberaret aures.

De Ludovici Franciae regis ac Romanorum imperatoris, filii Caroli magni, illicito coniugio.

CAP. XXIX.

Anno Domini viiicxv die xxviii Januarii obiit Aquisgrani Carolus magnus Francorum rex et Romanorum imperator. Cui in regno et imperio successit filius Ludovicus cognomento pius. Cuius prima uxor dicta Ermgarda peperit duos filios Lotharium et Ludovicum. Post mortem autem Ermgardae praescriptae Ludovicus aliam duxit uxorem, filiam videlicet Welphonis ducis Bavariae, Iudith nomine, quae neptis erat ipsi Ludovico, et idcirco illicitum nefariumque ab omnibus Galliae episcopis pronuntiatum est matrimonium; atque post canonicam admonitionem, nisi mulierem dimitteret, excommunicationis sententiam regi minabantur; qui ne excommunicaretur, relicta Gallia in Germaniam venit. Haec idcirco hic obiter narrare duxi necessarium, quia martyrii beati Frederici episcopi causa fuit.

De morte Rixfridi episcopi et episcopatu sancti Frederici.

CAP. XXX.

Haec dum agerentur, moritur Rixfridus episcopus Traiectensis natione Friso, doctrina et sanctitate insignis, anno Domini viiicxxi quinto die mensis Octobris. Quo honorifice sepulto clerus et populus dicunt se non alium eligere episcopum, quam Fredericum. Interim rex Ludovicus Caroli magni filius (de quo capite praecedenti), qui tunc ne excommunicaretur ab episcopis propter neptem suam, quam in uxorem duxerat, in Gallia manere non audebat, in Germania iuxta Rhenum manebat, comperto Rixfridi episcopi obitu per legatos suos mandavit senioribus ecclesiae Traiectensis, ut beatum Fredericum episcopum acclamarent, et electum ad eius ducerent palatium, nesciens omnem populum eundem iam elegisse. Tunc Fredericus cum senioribus ecclesiae Traiectensis surgens perrexit ad regem. Qui illum accersitis episcopis aliis licet invitum et multum renitentem in sua praesentia iussit ordinari episcopum. Quo peracto imperator clerum et omnes qui aderant nobiles pariter et ignobiles ad suum invitavit convivium, atque propter viri Dei amorem diem illum cum magna laetitia perducebat ad vesperum. Peracto convivio rex secum volvens in animo, se forte propter illicitum connubium in futuro posse a beato Frederico maledici, iussit illum accersiri et coram, qui aderant, episcopis talibus alloquitur dictis: Elegit te, carissime, Dominus sibi in sacerdotem magnum, quia te ad hoc opus cognovit idoneum, ut tua sancta praedicatione populum peccatorem convertas ad Dominum. Est igitur populus tuae diocesis in insula dicta Walachria, in qua (proh dolor) ut ad meas nuper pervenit aures, unus quisque neptem aut quod peius

Erat enim verus Israhelita, in cuius spiritu nullus nutriebatur dolus; neminem laedebat, neminem defraudabat, nemini quod sibi fieri noluit fecit. Idcirco dominus Rixfridus cum talibus eum fulgere virtutibus videret, nimio repletus gaudio, quod talem mereretur habere successorem, ipsum licet invitum ordinavit presbyterum. Nomen autem eius propter vitae sanctimoniam per universam celebre factum est terram, ita ut etiam regias verberaret aures.

De Ludovici Franciae regis ac Romanorum imperatoris, filii Caroli magni, illicito coniugio.

CAP. XXIX.

Anno Domini viiicxv die xxviii Januarii obiit Aquisgrani Carolus magnus Francorum rex et Romanorum imperator. Cui in regno et imperio successit filius Ludovicus cognomento pius. Cuius prima uxor dicta Ermgarda peperit duos filios Lotharium et Ludovicum. Post mortem autem Ermgardae praescriptae Ludovicus aliam duxit uxorem, filiam videlicet Welphonis ducis Bavariae, Iudith nomine, quae neptis erat ipsi Ludovico, et idcirco illicitum nefariumque ab omnibus Galliae episcopis pronuntiatum est matrimonium; atque post canonicam admonitionem, nisi mulierem dimitteret, excommunicationis sententiam regi minabantur; qui ne excommunicaretur, relicta Gallia in Germaniam venit. Haec idcirco hic obiter narrare duxi necessarium, quia martyrii beati Frederici episcopi causa fuit.

De morte Rixfridi episcopi et episcopatu sancti Frederici.

CAP. XXX.

Haec dum agerentur, moritur Rixfridus episcopus Traiectensis natione Friso, doctrina et sanctitate insignis, anno Domini viiicxxi quinto die mensis Octobris. Quo honorifice sepulto clerus et populus dicunt se non alium eligere episcopum, quam Fredericum. Interim rex Ludovicus Caroli magni filius (de quo capite praecedenti), qui tunc ne excommunicaretur ab episcopis propter neptem suam, quam in uxorem duxerat, in Gallia manere non audebat, in Germania iuxta Rhenum manebat, comperto Rixfridi episcopi obitu per legatos suos mandavit senioribus ecclesiae Traiectensis, ut beatum Fredericum episcopum acclamarent, et electum ad eius ducerent palatium, nesciens omnem populum eundem iam elegisse. Tunc Fredericus cum senioribus ecclesiae Traiectensis surgens perrexit ad regem. Qui illum accersitis episcopis aliis licet invitum et multum renitentem in sua praesentia iussit ordinari episcopum. Quo peracto imperator clerum et omnes qui aderant nobiles pariter et ignobiles ad suum invitavit convivium, atque propter viri Dei amorem diem illum cum magna laetitia perducebat ad vesperum. Peracto convivio rex secum volvens in animo, se forte propter illicitum connubium in futuro posse a beato Frederico maledici, iussit illum accersiri et coram, qui aderant, episcopis talibus alloquitur dictis: Elegit te, carissime, Dominus sibi in sacerdotem magnum, quia te ad hoc opus cognovit idoneum, ut tua sancta praedicatione populum peccatorem convertas ad Dominum. Est igitur populus tuae diocesis in insula dicta Walachria, in qua (proh dolor) ut ad meas nuper pervenit aures, unus quisque neptem aut quod peius

Erat enim verus Israhelita, in cuius spiritu nullus nutriebatur dolus; neminem laedebat, neminem defraudabat, nemini quod sibi fieri noluit fecit. Idcirco dominus Rixfridus cum talibus eum fulgere virtutibus videret, nimio repletus gaudio, quod talem mereretur habere successorem, ipsum licet invitum ordinavit presbyterum. Nomen autem eius propter vitae sanctimoniam per universam celebre factum est terram, ita ut etiam regias verberaret aures.

De Ludovici Franciae regis ac Romanorum imperatoris, filii Caroli magni, illicito coniugio.

CAP. XXIX.

Anno Domini viiicxv die xxviii Januarii obiit Aquisgrani Carolus magnus Francorum rex et Romanorum imperator. Cui in regno et imperio successit filius Ludovicus cognomento pius. Cuius prima uxor dicta Ermgarda peperit duos filios Lotharium et Ludovicum. Post mortem autem Ermgardae praescriptae Ludovicus aliam duxit uxorem, filiam videlicet Welphonis ducis Bavariae, Iudith nomine, quae neptis erat ipsi Ludovico, et idcirco illicitum nefariumque ab omnibus Galliae episcopis pronuntiatum est matrimonium; atque post canonicam admonitionem, nisi mulierem dimitteret, excommunicationis sententiam regi minabantur; qui ne excommunicaretur, relicta Gallia in Germaniam venit. Haec idcirco hic obiter narrare duxi necessarium, quia martyrii beati Frederici episcopi causa fuit.

De morte Rixfridi episcopi et episcopatu sancti Frederici.

CAP. XXX.

Haec dum agerentur, moritur Rixfridus episcopus Traiectensis natione Friso, doctrina et sanctitate insignis, anno Domini viiicxxi quinto die mensis Octobris. Quo honorifice sepulto clerus et populus dicunt se non alium eligere episcopum, quam Fredericum. Interim rex Ludovicus Caroli magni filius (de quo capite praecedenti), qui tunc ne excommunicaretur ab episcopis propter neptem suam, quam in uxorem duxerat, in Gallia manere non audebat, in Germania iuxta Rhenum manebat, comperto Rixfridi episcopi obitu per legatos suos mandavit senioribus ecclesiae Traiectensis, ut beatum Fredericum episcopum acclamarent, et electum ad eius ducerent palatium, nesciens omnem populum eundem iam elegisse. Tunc Fredericus cum senioribus ecclesiae Traiectensis surgens perrexit ad regem. Qui illum accersitis episcopis aliis licet invitum et multum renitentem in sua praesentia iussit ordinari episcopum. Quo peracto imperator clerum et omnes qui aderant nobiles pariter et ignobiles ad suum invitavit convivium, atque propter viri Dei amorem diem illum cum magna laetitia perducebat ad vesperum. Peracto convivio rex secum volvens in animo, se forte propter illicitum connubium in futuro posse a beato Frederico maledici, iussit illum accersiri et coram, qui aderant, episcopis talibus alloquitur dictis: Elegit te, carissime, Dominus sibi in sacerdotem magnum, quia te ad hoc opus cognovit idoneum, ut tua sancta praedicatione populum peccatorem convertas ad Dominum. Est igitur populus tuae diocesis in insula dicta Walachria, in qua (proh dolor) ut ad meas nuper pervenit aures, unus quisque neptem aut quod peius

est sororem, vel ipsam in matrimonium ducit genitricem. Quapropter te per Deum vivum et verum adiuro, ut si quis nobilis aut ignobilis, dominus aut servus, dives aut inops a religione erraverit Christiana, et talibus, quae supra diximus, se polluerit criminibus, quam primum ad tuum venerit auditum, illum ut corrigas, et si correptus de prava sua non fuerit reversus via, et te vel ecclesiam non audierit, ex communione omnium in Deum credentium auctoritate tibi tradita, separes ac condemnes, ut sit tibi sicut ethnicus et publicanus, donec ad Deum nostrum, qui semper paratus est ad miserandum, se vera poenitentia ductus conversus fuerit. Quo dicto praesul gloriosus ingemuit, regique respondit: Magno quidem iuramento me, Domine, ligasti, sed si salva tua gratia haec fecero, mihi dicito. Cui rex: Non solum salva mea gratia haec facies, sed etiam si volueris adiutorem me in omnibus habebis.

De aenigmate piscis ac fundamenti regi proposito.

CAP. XXXI.

Tunc praesul inclinans regi ait: Dic mihi quaeso, domine mi imperator, an rectius sit ad caudam, vel ad caput manducando incipere piscem, aut primum in altum ducere murum et postea collocare fundamentum? Rex ut audivit, quid sibi talis vellet interrogatio, secum admirans respondit: Piscis, ut opinor, ad caput manducando incipitur, et sic ad caudam usque consumitur. Fundamentum in primis collocatur, et deinde murus in altum erigitur, quia sine fundamento minime opus stabilitur. Bene, inquit sanctus Fredericus, iudicasti; idcirco te, quem caput et fundamentum

sanctae suae ecclesiae Deus praefecit, ut bonum cunctis existeres exemplum, aggrediar, ut demptis in capite vitiis, ac fundamento firmiter collocato, per corpus ad caudam pro posse meo Dei auxilio pervenire, ut murum in altum erigere valeam. Habes enim in coniugio tibi iunctam Iudith neptem tuam, Welphonis Bavarorum ducis filiam, quam nisi demiseris, et pro commissis dignam Deo poenitentiam egeris, maximum tui regni futurum tibi praedico excidium, et hunc sermonem Dominicum in te veraciter complendum: Surget gens contra gentem et regnum contra regnum, tradet frater fratrem in mortem et pater filium, et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient. Haec si tuis non fuerint impleta temporibus, pro certo poteris Deo propitio sine crimine ista frui femina. Caeterum completa quae praedixi si extiterint, scito tuas nuptias in conspectu Dei gratas non fuisse. Scriptum est enim: Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut reveletur turpitudo eius. Et Paulus apostolus: Fornicatores et adulteros iudicabit Deus. Tibi etenim, Domine rex, si foret coniux etiam non tuo ex sanguine, deberes nihilominus attendere, quod idem apostolus divinitus docet dicens: Qui habent uxores sint tamquam non habentes. Et beatus Gregorius in canonibus dicit: Si quis duxerit neptem in coniugem, anathema sit. Propterea si tormentum vis evadere perpetuum, et ad regnum pervenire coelorum, vera ductus poenitentia spretoque tali coniugio, convertere ad Dominum, ut tibi tuum dimittat commissum: quoniam vana huius mundi est gloria et omnis caro foenum. Haec dum sanctus praesul ad destruendum tam invisum coniugium de sacris literis proferret testimonia, vidit regem ea minus, quam debuit, animadvertere; quare iterum ad regem ait: O imperator, secundum apostolum, Dominum Deum debemus timere, eiusque mandata custodire, te autem honorare et in bonis actibus

consentire, in malis autem resistere et corrigere, Domino teste, qui per prophetam Ezechielem ait: Si non fueris locutus, ut custodiat se impius a via sua, et ipse impius in impietate sua morietur, sanguinem vero eius de manu tua requiram. Quapropter, domine rex, si tibi tua non annunciassemus peccata, et non arguissemus te, ut ab impietate tua converteres et viveres, et nos, qui non increpassemus te, qui nobis peccantibus peccares, flammis perderet perennibus. Vix ea dixerat episcopus, imperator erubuit, et ad tempus poenitentia ductus lacrimatus est, demissisque in terram luminibus suspirans ait: Peccavi et a via erravi veritatis, reum me reddo, vestroque subiectus iudicio libenter me de commissis emendabo. His finitis sermonibus, beatum virum cum caeteris pontificibus rex vocabat ad prandium, ac deinde salutatum sum summo honore remisit Traiectum. Tunc sanctus Fredericus sibi commissam cupiens lustrare diocesim ad insulam iam dictam primum ob evangelizandi studium iter disposuit suum, ventoque prospero Walachriam applicuit. Et post multos labores omnes incolae poenitentiam agentes foeda reliquerunt coniugia. Interim Iudith regina nunc per epistolas, nunc innumerabiles offerendo gazas, sanctum virum ad id conabatur flectere, ut auctoritate sibi tradita, eis licentiam in coniugio permanendi concederet. Ad haec dum ille reluctaretur, et talia sine summi pontificis aliorumque praesulum iudicio fieri minime posse diceret, regina miserabili obcoecata amore multis de causis Deo carum coepit accusare episcopum, atque animo volvere, qualiter eum posset perdere.

Quod Frisones per sanctum Fredericum episcopum et sanctum Odulphum ab Ariana heresi revocantur.

CAP. XXXII.

Per idem fere tempus Frisonicus populus de agnitione sanctae et individuae Trinitatis adeo multis erravit in locis, ut Sabellii Arriique sectam secundo putares exortam esse et disseminatam. Quod praesul cum audisset, sine mora Alcmere fluvio pertransito, ad Frisiam pervenit, atque pagos et villas docendo peragrans, neque per semet ipsum, neque per suos archidiaconos ferocem gentem ad viam potuit reducere veritatis. Tunc sanctus episcopus literas cum legato fideli Traiectum direxit ad Dei famulum Odulphum, ut quantocius transmenso sinu maris, qui Alcmere vocatur ad se usque perveniret. Legato autem accepto vir Dei protinus desiderio martyrii ductus surrexit, et transfretato fluvio, ad Stauron, ubi praesul mansit, pervenit. Quo viso episcopus magno repletus est gaudio, salutaveruntque se invicem osculo sancto. Tunc ambo divini verbi armati gladio coeperunt per ecclesias simul iter agere, iterum atque iterum easdem repetere, populo praedicare, et ad viam veritatis evangelica eruditione convertere, crebrisque admonitionibus arguendo, increpando homines, qui antea erant velut lupi feroces, salutari dogmate in mansuetas converterunt oves. Scripsit igitur beatus Fredericus episcopus huiusmodi chartam de sancta Trinitate constructam, quam per parochias Frisiae sacerdotibus misit, ut schisma si denuo oriretur in populo, frequenter legeretur in publico.

SEQUITUR CHARTA.

Aeternus est Pater, aeternus est Filius, aeternus est Spiritus sanctus. Distinctio est in personis, unitas cognoscitur

in natura. Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus; trinum quidem nomen, sed una virtus et potentia. Filius a Patre incomprehensibiliter genitus; Spiritus sanctus a Patre Filioque procedens ineffabiliter; potestas non accidens, sed perpetua et individua manens, summitas sociabilis, regnum sine fine, gloria sempiterna, quae sola creat, sola peccata dimittit, et coelorum regna concedit.

Insuper ad placandam sanctam Trinitatem, orationem compositam de sancta Trinitate pro salute plebis singulis diebus tribus vicibus, videlicet mane, meridie atque vespere iussit recitari. His ita per ordinem digestis, beatus Fredericus, inito consilio cum clericis, non modicaque eiusdem patriae laicorum multitudine, sancto Odulpho Staurensem ad regendum commendavit ecclesiam, ut populum in Frisia nuper ab errore reversum erudiendo sanaret, et ab antiqui hostis mortifera fauce salubriter eriperet.

De clade regni Francorum propter peccatum regis iuxta prophetiam sancti Frederici episcopi, et de morte eiusdem.

CAP. XXXIII.

Interea volens Dominus Deus gloriosi praesulis sui Frederici prophetiae implere sermonem, anno Domini viii^{c}xxxv, permittente Deo propter illicitum coniugium regis Ludovici, ingressus est regnum Francorum Murman rex Britonum cum grandi exercitu et forti. Et multis captis ac debellatis urbibus, innumerabiles homines iugulavit, et sic multis ditatus spoliis ad patriam suam est reversus illaesus. Quem imperator tota fere congregata Francia insequens, proe-

lium commisit, sed minime praevaluit. Tandem victus imperator hosti cessit, dansque innumeras pecunias pacem petivit et impetravit. Sic omnibus innotuit, regis et reginae iuxta prophetiam sancti Frederici esse illicitum et a Deo reprobatum coniugium, et nihilominus in sua permanserunt malitia. Tunc cernens sanctus Fredericus episcopus cor regis induratum, excommunicationem regi, nisi poenitentia acta se emendaret, per epistolam minatus est. Quapropter iratus contra sanctum episcopum, relicta uxore iuxta Rhenum, rex Ludovicus Franciam adiit. At regina Iudith, videns episcopum nec pretio nec precibus flecti posse, magna promissa mercede conduxit duos iuvenes superbos et cupidos, qui sanctum episcopum interficerent.

Qui sumptis secum cultellis in manicis Traiectum adeunt, et ex parte reginae cum episcopo postulaverunt colloquium. Hoc dum illi ad missam celebrandam se praeparanti a suis esset nuntiatum, ad circumstantes dixit: Quid isti volunt scio, sed ut exspectent, donec missa sit peracta, praecipio. Deinde missam devote celebrans, post lectionem evangelicam sermonem fecit ad populum, in quo obitum suum aenigmatice, ne populus, qui illum diligebat, intelligeret, praedixit, eodemque die cibum perpetuum se cum sanctis in regno coelorum esse accepturum. Sacrificio autem rite celebrato, vestitus ut erat intravit sacrarium sancti Ioannis evangelistae, in quo sarcophagum sibi ordinaverat, exclusisque cunctis praeter unum suum capellanum, ad se missos introduci fecit sacrarium. Qui cum essent introducti, clericum retro altare Sancti salvatoris ambulare praecepit, neque nisi vocatus redire. Quo egresso, ait filiis Belial: Vestram sicut vobis praeceptum est implete legationem, priusquam enim huc venissetis, praescivi. Tunc illi cernentes quod ultro festinaret ad mortem, extractis duobus longis de manicis cultellis percusserunt eum in extis, et irridentes dixerunt: Nostra de te ulta est regina. Sed mar-

377288

tyr Dei viribus, quibus poterat, ne sanguis et intestina effluerent, vulnera restrinxit, atque hominicidas illos, ne comprehenderentur cum festinatione abire praecepit. Quibus velociter abeuntibus, ad se suum vocavit clericum, et iussit ad videndum, si nuntii Rhenum transissent, super muros adscendere. Quod ille, ut iussus fuerat, implens reversus dixit, eos iam Rhenum transisse, et quasi fugam maturare. Tunc sanctus dixit episcopus: Percussus sum, fili mi; advoca fratres et commilitones meos; voca populum Dei, ut reddat me, unde egressus sum, terrae terrenum, et oret, ut spiritus meus dirigatur ad Dominum, pro cuius lege et amore sanguis meus fusus est hodie. Quod audiens clerus et omnis populus flens et eiulans accurrit dicens: Cur nos pater orphanos derelinquis? Quibus gloriosus martyr lacrimatus prophetando dixit: Fratres mei et filii mei carissimi, si qua pars mihi est cum sanctis in coelis, non vos desolatos relinquam, sed vestrae semper intercessor ero salutis. Attamen scitote, quod propter imperatoris suaeque coniugis nequitiam, totum ab incursione Danorum depopulabitur regnum. Quo vix dicto vivens sarcophagum intravit, atque psalmodias, quae solent in exsequiis cantari mortuorum, ipse primum incipit dicens: Placebo Domino in regione vivorum. Deinde hunc persaepe repetens versum: In manus tuas commendo spiritum meum, spiritum Deo reddidit. Dum vero corpus eius terrae traderetur, miri odoris fragrantia tota repleta est ecclesia, ut omnis praesens turba perspicue angelicam sentiret adesse catervam. Moritur autem anno Domini viii^{c}xxxviii, xviii die mensis Iulii. Cui in episcopatu Traiectensi successit Alfricus, frater carnalis sancti Frederici episcopi et martyris praescripti, Friso nobilis de castro Adelen, vir sanctus et bonus. Qui obiit anno Domini viii^{c}xlvi, die xv mensis Decembris. Huius sancti episcopi tempore inceperunt calamitates in Gallia, Germania et Frisia, per Danorum et

Nortmannorum infidelium irruptionem, iuxta prophetiam sanctorum episcoporum Frederici et Ludgeri, de qua libro sequenti latius dicendum erit.

De prophetia sancti Odulphi confessoris Frisiis praedicta.

CAP. XXXIV.

Sanctus igitur Odulphus a beato Frederico episcopo et martyre pro instructione populi Frisonici Stauriae relictus, ut supra capitulo xxxii dictum est, non cessabat populo Dei verbum vitae praedicare, coelorumque regnum instanter evangelizare. Omnibus enim sicut providens dispensator divini sermonis praebuit alimenta, fortioribus fortiora, infirmioribus (iuxta apostolum) lactis exhibuit pocula; sicque suae sanctitatis exemplo universi Frisones magno repleti sunt gaudio. Cum iam a Stauria destinasset redire Traiectum, priusquam iter arriperet, accidit maximam illuc convenisse Frisonum multitudinem, quatenus sua salubri muniretur admonitione. Quos Domino commendans benedixit, et ne viam veritatis, quam nunc didicerant unquam desererent admonuit, quam iterum, sine gravi divina vindicta repetere valerent minime. Sanctus itaque vir, qui futura prophetico praevidit spiritu, eidem populo astanti aliud magnae admirationis praesagium praedixit. Cernitis (inquit) hanc petram; digito eis non modicae magnitudinis petram ante ipsius ecclesiae ianuam iacentem ostendens. Scitote (inquit) quod sine humano labore devolvetur in flumen, quod Flevus dicitur (vulgo 't Flie) ibique latebit sub undis, quamdiu divinae pacis carebitis. Cum autem videritis eandem absque humana subvectione huius litoris oram subire, procul dubio creditote corpus meum, licet

post mortem carnis, hanc patriam revisitare, vobisque pacem impetratam suppeditare. Donec enim superbia, periurio, homicidio, adulterio totiusque generis peccato Deum offendetis, concessae pacis donum auferet ex vobis. Haec ille. Interim dum sanctus Odulphus Stauriae habitaret, solemne ibidem construxit monasterium ordinis canonicorum coenobitalium seu regularium. Cuius ecclesiae fundamenta in terra solida firmissime erant posita; nam saxa grandia subtus posita, superius latis lapidibus tecta, fuso plumbo erant conglutinata, uti ex relatione seniorum nostrae aetatis (qui ruinas et fundamenta monasterii eiusdem se non raro vidisse testati sunt) audivimus. Sed et anno Domini xiv^{c}xxx, coemiterium eiusdem monasterii cum sacello in eodem constructo integrum stetit, atque lapis praescriptus, de quo sanctus Odulphus prophetaverat, omnibus adventantibus in eodem coemiterio monstrabatur. Nunc vero totum coemiterium cum sacello ex frequenti aquarum collisione penitus consumptum videmus. Et sic verificata est pars prophetiae viri sancti, nam lapidem illum aquarum undis iam tectum cernimus. Quando vero iterum in sicco apparebit intuentibus, solus ille novit, cuius spiritu haec praedixisse sanctum virum pie credimus. Nam tunc temporis, cum hoc vir Dei futurum praedixit, non minus incredibile id fieri posse videbatur, quod videlicet omnis illa terra, quae longe lateque inter Flevum fluvium et saepedictum coemiterium cernebatur, vi aquarum absumeretur, quam si illud coemiterium cum lapide aquis defluentibus humanis denuo obtutibus appareat. Anno Domini xiv^{c}xix, tempore Algeri abbatis Stauriae praedictum monasterium sancti Odulphi ex antiquo loco, iam paene vi aquarum absumpto, translatum est ad meridionalem partem civitatis Stauriae.

LIBRI SECUNDI FINIS.

Antequam

TERTII LIBRI NOSTRAE HISTORIAE,

sumamus exordia, praemittendi sunt secundum ordinem tam episcopi Traiectenses, quam Hollandiae comites, per quot saepius impugnata, atque nonnunquam etiam expugnata est Frisia.

ANNO DOMINI	ORDINATI SUNT. NUMERUS EPISCOPORUM.
696	Willibrordus primus episcopus. Natus in Anglia ex antiquis Frisonibus.
734	Bonifacius martyr, II. Et ipse Anglicus ex Frisonibus.
750	Gregorius. III. Vir sanctus ex dioecesi Trivirensi.
768	Albricus. IV. Anglicanus fuit vir bonus. Iste misit sanctum Ludgerum in Dockum post mortem sancti Bonifacii.
780	Theodardus vel Tetardus. V. Hic Friso fuit vir veneratione dignus.
790	Harmakarus. VI. Vir Deo deditus. Friso natus. Obiit v calendas Decembris. Secundum alios autem Anglicanus fuit ex regno Humbrano.
800	Rixfridus. VII. Vir doctus et humilis, Friso natus, obiit iii nonas Octobris. Huius iussu beatus Ludgerus tunc episcopus Monasteriensis conscripsit eleganti stilo librum de miraculis et canonizatione sancti Swidberti

ANNO DOMINI ORDINATI SUNT.	NUMERUS EPISCOPORUM.
	episcopi Werdensis, facta a Leone papa, praesente Carolo magno imperatore.
821	Fredericus. VIII. Friso fuit nobilis de castro Adelen in Sixtiberum natus, vir doctus, sanctus et martyrio coronatus anno Domini 838 xv calendas Augusti.
838	Alfricus. IX. Iste frater fuit germanus sancti Frederici praedicti, Friso, vir bonus.
846	Ludgerus. X. Friso fuit, vir sanctus et religiosus. Obiit ix calendas Maii anno 850.
850	Hungerus. XI. Iste obiit anno 866 Friso fuit, vir sanctus et doctus. Sub isto episcopo Dani et Normanni Frisiam ac Hollandiam vastaverunt, Traiectum multis iugulatis vi expugnaverunt. Eodem tempore Theodoricus factus est primus comes Hollandiae.
866	Odilbaldus. XII. Vir sanctus pius et iustus, Friso fuit. Obiit idibus Decembris.
900	Egilboldus. XIII. Friso fuit, vir bonus et sanctus et praefuit decem (*) mensibus.
900	Radbodus. XIV. Friso fuit de Gaw (†), vir bonus et sanctus, spiritu prophetico pollens. Iste composuit historiam translationis sancti Martini, qua ecclesia nunc utitur.
917	Baldericus. XV. Iste reparavit omnia per Danos demolita; filius fuit comitis Clivensis.

(*) Cod. habet *decem aut vi mensibus:* ita ut *aut* superscriptum sit secunda manu. Suspicor autem illud vi ortum esse ex male scripto *vix*, atque ita legendum *decem vix mensibus.*

(†) Cod. habet *Garo*, cui deleto superscriptum est *Westergoa.*

ANNO DOMINI ORDINATI SUNT.	NUMERUS EPISCOPORUM.
	Iste corpora sanctorum Pontiani, Benigni et Agnetis martyrum ex Italia transtulit Traiectum. Obiit anno 977, vi idus Ianuarii.
977	Folcmarus. XVI. Iste totus bonus et sanctus Friso fuit. Obiit anno 990, iii idus Decembris.
990	Baldewinus. XVII. Iste gloriosus fuit et inclitus. Obiit anno 994, vi idus Maii.
994	Anfridus. XVIII. Iste monasterium in monte construxit ordinis sancti Benedicti, vir sanctus.
1008	Adelboldus. XIX. Friso fuit et primus episcoporum, qui bellavit contra Hollandiae comitem Theodoricum quartum, et tamen bonus et utilis fuisse ecclesiae commendatur. Obiit anno 1027.
1027	Bernulphus. XX. Hic fecit collegium sancti Petri et etiam sancti Ioannis in Traiecto.
1054	Wilhelmus. XXI. Iste pugnavit contra comitem Hollandiae.
1075	Conradus. XXII. Pugnavit contra comitem Hollandiae, et fundavit ecclesiam canonicorum sanctae Mariae in Traiecto; interfectus est a quodam Frisone. Iste Conradus obtinuit ab imperatore Henrico quarto comitatum de Oestergo et Westergo pro ecclesia Traiectensi perpetuo possidendum.
1100 (*)	Burcardus. XXIII. Hic vir pius fuit et pacificus. Obiit anno 1112, v calendas Iunii.

(*) Secunda manus numerum mutavit in 1099.

ANNO DOMINI ORDINATI SUNT.	NUMERUS EPISCOPORUM.
1112	Godelboldus. XXIV. Iste Friso fuit et amator religionis. Iste fundavit monasterium sancti Benedicti in Oestbroeck, et relicto episcopatu intravit monasterium.
1126	Andreas. XXV. Natus de Kuuck. Iste Stauriae 12 presbyteros amovit propter suam inhonestam, vitam et introduxit ibidem monachos et moniales de Oestbroeck.
1138	Herbertus. XXVI. Friso fuit de Bierum, vir bonus et religiosus.
1150	Harmannus. XXVII. Hic minus utilis ecclesiae fuit propter suam lenitatem et pusillanimitatem. Obiit anno 1156, vi calendas Aprilis.
1156	Godfridus. XXVIII. Natus de Renen. Iste utilis fuit, et construxit quatuor castra, Follenhoe, Horst, Montfoort et Woorden. Obiit anno 1178, v calendas Iunii.
1178 (*)	Baldewinus. XXIX. Frater fuit comitis Hollandiae, vir castissimae vitae.
1197	Arnoldus. XXX. } Hi ambo in via Romana defuncti sunt.
	Theodericus. XXXI. }
1198	Theodericus secundus. XXXII. Hic bellis satis intentus fuit.
1200	Otto primus. XXXIII. Hic Gelriensis fuit.
1203	Otto secundus. XXXIV. Natus de Lippa, quem occiderunt Trentones circa Covordiam, anno 1225, calendis Augusti.
1225	Willibrandus. XXXV. Filius comitis de Oldenborch, primus episcopus Padeburnensis.

(*) In cod. scriptum 1179.

ANNO DOMINI ORDINATI SUNT.	NUMERUS EPISCOPORUM.
1233	Otto tertius. XXXVI. Filius comitis Hollandiae. Iste subiugavit rebelles Trentones.
1249	Goswinus. XXXVII. Vir iste simplex fuit et minus utilis ecclesiae, et ideo depositus.
1250	Henricus. XXXVIII. Iste strenue gubernavit ecclesiam. Iste posuit collegium duodecim canonicorum in Steenwyck. Obiit anno 1275, pridie nonas Iunii.
1275	Ioannes primus. XXXIX. Iste simplex gravavit ecclesiam debitis. De Nassowen.
1291	Joannes secundus. XL. Iste translatus factus, est episcopus Tullensis auctore Romano pontifice.
1295	Wilhelmus secundus. XLI. Iste occisus fuit, quia rebellare fecit Frisones contra Hollandos.
1301	Guido. XLII. Frater Ioannis comitis Hollandiae. Iste coepit aedificare castrum in Stellingwerf.
1317	Fredericus. XLIII. Iste multis fuit debitis gravatus. Obiit anno 1322.
1322	Iacobus. XLIV. Iste vir bonus et religiosus. Primo anno obiit, vii calendas Octobris.
1323	Joannes tertius. XLV. Iste de Diest fuit natus, et multa castra impignoravit comitibus Hollandiae.
1341	Nicolaus. XLVI. Istum papa Ioannes xxii fecit episcopum Traiectensem in curia Romana.
1342	Ioannes quartus. XLVII. Iste utilis fuit ecclesiae pro temporali prosperitate. De Arkel, translatus est ad episcopum Leodiensem.
1364	Ioannes quintus. XLVIII. Iste de Wernen-

ANNO DOMINI ORDINATI SUNT.	NUMERUS EPISCOPORUM.
	burch Leodiensis erat, homo pacem diligens.
1371	Arnoldus. XLIX. Iste nobilis de Horn, multis erat intentus bellis, et translatus ad episcopatum Leodiensem.
1376	Florentius. L. Iste vir sapiens omnia per antecessorem suum dissipata recuperavit.
1393	Fredericus tertius. LI. De Blankenhem; iste impugnavit Stellingwerff et Groningen subegit.
1423	Suederus. } LII. { De Cuilenburch: hunc noluerunt ultra Isolani et Rodolphus. } LII. { ideo novem tantum mensibus gubernavit. Istum de Diepholt. Traiectenses noluerunt, sed postea praevaluit et episcopus mansit.
1454	David. LIII. Iste filius naturalis Philippi ducis Burgundiae. Obiit anno 1496.
1496	Fredericus quartus. LIV. Iste marchio de Baden, omnium praecedentium nobilissimus, filius sororis Frederici imperatoris.
(*)	Philippus. LV. Iste filius naturalis Philippi ducis de Burgundia ac frater David episcopi.
(*)	Henricus. LVI. Iste frater fuit ducis Bavariae.

(*) His episcoporum nominibus secunda manus apposuit annos 1516 et 1524.

Comites Hollandiae hi fuere.

ANNO DOMINI.	NUMERUS.
863	Theodoricus, primus comes Hollandiae. Obiit anno 900, pridie nonas Octobris.
900	Theodericus secundus. Iste uxorem habuit filiam regis Franciae. Obiit anno 988.
988	Arnulphus. III. Iste uxorem habuit filiam imperatoris Graecorum, occisus a Frisiis.
	Theodericus tertius. IV. Hic filiam habuit ducis Saxoniae.
	Theodericus quartus. V. Hic filium non habuit, sed fratrem Florentium.
	Florentius primus. VI. Hic uxorem habuit filiam Henrici ducis Saxoniae.
	Theodericus quintus. VII.
	Florentius secundus. VIII. Uxorem habuit sororem Lotharii imperatoris, et occisus est a comite de Kuyck.
	Theodericus sextus. IX.
	Florentius tertius. X.
	Theodericus septimus. XI.
	Wilhelmus primus. XII.
	Florentius quartus. XIII.
	Wilhelmus secundus. XIV. Iste rex Romanorum fuit annis septem, a Frisiis occisus.
	Florentius quintus. XV.
	Ioannes primus. XVI.
	Ioannes secundus. XVII.

ANNO DOMINI.	NUMERUS.
	Wilhelmus tertius. XVIII. Obiit anno 1337.
	Wilhelmus quartus. XIX. Occisus a Frisiis circa Stauriam anno 1345.
	Wilhelmus quintus. XX. Dictus est die dulle graef, eo quod usque ad mortem furiosus permansit.
	Albertus. XXI.
	Wilhelmus sextus. XXII.
	Ioannes tertius. XXIII.
	Iacoba. XXIV.
	Philippus. XXV.
	Carolus primus. XXVI.
	Maria. XXVII.
	Philippus secundus. XXVIII.
	Carolus imperator.

Hi sunt episcopi Traiectenses et Hollandiae comites in praesentem usque diem. Ex quibus comitibus pauci fuere, qui Frisiam non impugnaverunt. Et hoc praemittendum est, quod Carolus calvus (ut aiunt Hollandi, sed male, ut infra patebit), et postmodum Lotharius dederunt Frisiam, Oestergoe videlicet et Westergoe a Stauria usque Lavicam fluvium (vulgo die Lauwerts), comitibus Hollandiae. Henricus vero quartus et Conradus tertius imperatores dederunt illam episcopis Traiectensibus.

WORPERI THABORITAE

CHRONICON FRISIAE.

Liber Tertius.

TRACTANS DE BELLIS ET GESTIS FRISONUM CUM PRINCIPIBUS ILLOS IMPUGNANTIBUS.

De exordio comitatus Hollandiae.

CAP. I.

Comitatus Hollandiae exordium habuit tempore Hungeri episcopi xi Traiectensis a Carolo calvo, Romanorum imperatore et Francorum rege. Nam anno Domini viiicxiii, xvii calendas Iulii largitus est Carolus rex praefatus ad instantiam Haganonis comitis Troiae, sive Zantensis, cuidam Theoderico, viro nobili et strenuo, primo comitatum in Hollandia per literas annulo regio signatas, ut contra infideles Danos vice regia tamquam propugnator imperterritus diuturnas muniret excubias. Dani enim iam pridem Traiectum, Dorestatum et omnes circa limbum maris occidui provincias,

crudelissime depopulaverant, uti in superiori libro huius cronicae dictum est. Hic Theodericus primus, eiusque filius eiusdem nominis secundus comes, regentes Hollandiae provinciam annis cxxv, tenuerunt pacem populo et ecclesiae Traiectensi. Quae pacis foedera usque ad Theodericum eius nominis quartum comitem ac Adelboldum xx Traiectensem episcopum perdurarunt. Deinde anno Domini viiiclxviii, die xiii Aprilis, Ludovicus Germaniae rex ad instantiam Emmae uxoris suae dedit eidem Theoderico, comiti Hollandiae, Zelandiam perpetuo possidendam. Cronica Leidensis dicit, hunc Theodericum primum Hollandiae et Zelandiae comitem auxilio Caroli calvi imperatoris contra Frisones pugnasse. Sed Ioannes de Beka, in suis Cronicis episcoporum Traiectensium et comitum Hollandiae nullius belli huius comitis et Frisonum facit mentionem. In cronicis Hollandiae, per Ioannem Severini bibliopolam Leidensem impressis, dicitur, Carolum calvum Theoderico primo comiti Hollandiae suisque successoribus totam contulisse Hollandiam, nec non et partem orientalis Frisiae videlicet usque Lavicam fluvium. Sed et Carolum eundem post devictam Hollandiam, adiuncto sibi praefato comite, cum exercitu magno Frisiam invasisse, ac compulsisse Frisones Theodericum comitem suscipere, eidemque homagium fecisse atque iurasse se semper obedire ac mansuros sub comitibus Hollandiae. Hactenus ubi supra. Haec autem quomodo possint esse vera non video, quum literae donationis Caroli calvi Francorum et Ludovici Germaniae regum, primo comiti Hollandiae factae, Hollandiae quidem et Zelandiae faciunt mentionem, sed Frisiae nequaquam. Superiore insuper libro ex cronicis Hollandiae dictum est, quomodo Nordmannorum rex ea conditione factus est Christianus, ut Carolus calvus traderet sibi filiam Lotharii regis in uxorem et Frisiae provinciam in dotem, et quomodo idem Godfridus Nordmannorum rex, auxilium sibi

praebente Carolo calvo Frisones subiecerit suo Dominio. Facta sunt haec secundum Ioannem de Beka, anno viiiclxxiii vel secundum alios (quod verius videtur) anno viiiclxxxiii. Ecce quomodo unus et idem rex et imperator primo dederit Frisiam comitibus Hollandiae, ac paulo post regi Nordmannorum. Quod certe nec rationi nec regiae quadrat dignitati, ut quod comiti regia liberalitate donaverit, paulo post, imo eodem fere tempore, cassata priore donatione, alteri idem rex conferat. Non ergo credendum est primis Hollandiae comitibus collatam fuisse Frisiam, propter rationes supra dictas. Nam omnia bella, quae comites Hollandiae gessisse cum Frisiis legimus, semper fere (exceptis paucissimis) contra Phisiofrisios, hoc est Westfrisones, Hollandis contiguos ac semper infestos (quae nunc non minima pars est Hollandiae, a Medemblick videlicet usque Haerlem) pugnasse certum est. Sed subiugata Westfrisia coeperunt comites Hollandiae et nostram, quae tunc dicebatur orientalis, nunc vero occedentalis Frisia, continuo impugnare.

Quomodo secundus et tertius comites Hollandiae impugnaverunt Frisios.

CAP. II.

Anno igitur Domini ixc mortuo Theoderico primo comite Hollandiae factus est Theodericus filius eius secundus comes Hollandiae. Iste comes (teste Ioanne de Beka in suis cronicis) pugnavit contra West-Frisios, et suae subiecit potestati. Tunc comes destructo in Egmunda ligneo monasterio, quod pater suus fundaverat, construxit ibidem lapideum monasterium contra incursum Frisonum. Sed secundum cronicam Leidensem, paulo post collecti Frisones incen-

De bello inter comitem Hollandiae et Frisones, et de miraculosa voce in aëre audita.

CAP. IV.

Mortuo Arnulpho tertio Hollandiae comite factus est quartus Hollandiae comes Theodericus tertius, anno Domini ixclxxxxiii. Qui volens ulcisci necem patris sui Arnulphi ab occidentalibus Frisiis occisi, misit ad imperatorem Henricum, uti sibi auxilium ferret contra Frisones. Misit ergo imperator electos bellatores comiti, et venit etiam cum eis Godefridus dux Mosellae cum exercitu forti. Congregans igitur comes, anno Domini mxviii, ex omnibus Hollandiae et Zelandiae partibus, viros aptos bello, perrexit in Westfrisiam, et fixit cum omni suo exercitu tentoria in campo plano et amplo. Cui occurrentes Frisones armati et ad bellum parati, cum coepissent inire certamen, ecce vox horribilis audita est in aëre dicens: Fugite, fugite, fugite. Qua voce comitis et suorum exercitus territus fugerunt omnes e campo. Quos insequentes Frisii maiorem partem exercitus occiderunt, ac Godefridum ducem Mosellae captum vinculis mancipaverunt. Nec amplius a comite isto impugnati sunt Frisones; licet cronica Leidensis dicat comitem secundo Frisones impugnasse et praedam abstulisse. Ioannes tamen de Beka, diligens scriptor gestorum Hollandiae comitum non meminit, et ergo minime credendum. Obiit autem iste comes anno Domini mxxxviiii quinto calendas Ianuarii, in Egmondt sepultus. Huic successit filius Theodericus quartus, et quintus comes Hollandiae, cum quo Frisones pacem habuerunt. Comes iste occisus in Dordraco, anno Domini mxxxxviii, idibus Maii, nec uxorem, nec prolem habuit. Henricus huius nominis tertius imperator contulit Bernulpho vicesimo episcopo Traiectensi civitatem Daventriae, anno Domini mxxxxvi. Idem imperator dedit

eidem episcopo Trentam cum omnibus suis appendiciis et fructubus perpetuo possidendam anno Domini mxxxxvii, xi calendas Iunii. Idem imperator dedit eidem episcopo et ecclesiae Traiectensi civitatem Groningen.

Occidentalis Frisia per Godfridum ducem Lotharingiae et Wilhelmum episcopum Traiectensem subacta est.

CAP. V.

Florentius sextus comes Hollandiae fratri defuncto successit. Et secundum Ioannem de Beka fuit vivente fratre suo Theoderico comes Frisiae orientalis annis xxii et post mortem fratris sui praefuit Hollandiae annis xiiii. Qui anno Domini mlxii occisus est in Hamert ab episcopo Coloniensi et Egberto marchione Brandenburgensi. Mortuo Florentio comite uxor eius nupsit Roberto filio comitis Flandriae. Et iste comes Robertus dictus est Robertus die Fries, non quod natione erat Friso, sed (secundum cronicam Hollandiae) quia tantae erat audaciae et fortitudinis et tam procerae staturae, perinde ac si Friso fuisset. Contra hunc Robertum surrexit Wilhelmus vicesimus primus episcopus Traiectensis anno Domini mlxxi, et auxilio Godfridi gibbosi, ducis Lothoringiae, bello victum expulerunt eum et uxorem eius, filiosque comitis Florentii, et rexit Godefridus Hollandiam annis quinque. Deinde anno Domini mlxxii dux iste Godfridus, volens sibi subiugare Frisones, invasit valido stipatus exercitu Westfrisiam, et commisso proelio vicit. Dux fugatis Frisiis, magnaque abducta praeda Alcmariam ingressus est. Denuo congregati Frisones magna cum potentia Alcmariam novem hebdomadibus obsederunt. Misit ergo dux clam nuntium cum literis

ad Wilhelmum episcopum Traiectensem, ut praesidium ferret contra Frisones, quia civitatem ultra defendere poterat minime. Tunc Wilhelmus magno vallatus exercitu civitatem ac ducem obsidione liberavit, multis interfectis Frisis, caeteri fuga salvati sunt. Hoc modo factus est dux auxilio episcopi Traiectensis dominus Occidentalis Frisiae. Sed post quatuor annos dux Godfridus Traiecti, dum purgaret alvum, a servo Theoderici filii Florentii supradicti comitis interemptus est.

De Theoderico huius nominis quinto, filio Florentii, septimo comite Hollandiae: marchio Brandenburgensis potitur dominio Frisiae.

CAP. VI.

Theodericus fuit septimus comes Hollandiae et Zelandiae, sed Frisones eum recipere noluerunt. Quare magno congregato excercitu occidentalem intravit Frisiam, et uno die bis super glaciem inchoato proelio comes victoria potitus est, et multis interfectis Frisonibus, multi capti et abducti sunt. Deinde forti cum exercitu obsedit Stauriam per tres hebdomadas. Et facta est pax sub ea conditione, quod salvis corporibus et bonis traderent comiti civitatem. Insuper et pro forfactis (*) solverent comiti semel xiiic coronata Franciae, et reversus est comes ad Hollandiam, sumptis secum de Stauria obsidibus, donec pecunia solveretur. Obiit autem comes iste anno Domini mlxxxxi prima

(*) *Forfactum* est quidem e Gallico *forfaict*; sed hoc ipsum est e *fore-factum*; quod sic dicitur, quasi *foris factum*. Vossius, *De vit. serm. Lat.*, p. 432., cf. p. 820, *forisfacere*, *forifacere*, *forefacere*, quod Belgis *te buyten gaen*, idem l. l., p. 688.

die Decembris et in Egmonda sepultus est. Tempore huius comitis, anno videlicet Domini mlxxxvi, Egbertus marchio Brandenburgensis, propter odium inter ipsum et comites Hollandiae ortum tempore Theoderici quinti comitis Hollandiae, ingressus cum valido exercitu Orientalem Frisiam ut sibi illam subiiceret. Frisones autem odio comitum Hollandiae haud gravatim illi consentientes, potitus est dominio Frisiae. Postea vero idem marchio rebellans imperatori Henrico quarto plures terras in Saxonia ac Thuringia incitavit contra imperatorem. Quare indignatus imperator omnia, quae praefatus marchio possederat, sibi et imperio confiscavit. Tunc Conradus vicesimus secundus Traiectensis episcopus impetravit ab imperatore pro ecclesia sua dominium de Oestergo et Westergo perpetuo possidendum. Quam donationem idem Henricus quartus literis regio sigillo munitis confirmavit, anno Domini mlxxxviii, vii idus Februarii.

De Florentio secundo, comite octavo Hollandiae et Zelandiae.

CAP. VII.

Florentius secundus filius Theoderici factus est octavus comes Hollandiae et Zelandiae, sed Frisones illum admittere noluerunt. Insuper occidentales Frisones comitis nec iudices nec legatos recipere voluerunt, volebantque pristina frui libertate, nec ullius nisi caesaris tantum dominio subiecti esse. In quibusdam Hollandiae cronicis legimus, hunc Florentium comitem huius nominis secundum impetrasse a Lothario secundo imperatore dominium Orientalis Frisiae, scilicet de Oestergoe et Westergoe; quod Conradus vicesimus secundus

episcopus Traiectensis ab Henrico imperatore quarto impetraverat, quod tamen verum esse ratio et temporum computatio negat. Nam iste Florentius moritur antequam Lotharius ad imperium asciscitur. Eligitur enim in imperatorem anno Domini mcxxviii; et Florentius iste obiit anno Domini mcxxi. Quod igitur dicunt, intelligendum existimo de Theoderico eius filio et successore. Iste Florentius habuit uxorem Petronellam sororem Lotharii imperatoris, quae post mortem mariti sui elemosinis aliisque bonis intenta operibus, fundavit monasterium monialium ordinis sancti Benedicti dictum Reinsburch prope Leidis. Anno Domini mcx civitas Groningen primo muro, portis et turribus cingitur, quae prius ligneis tabulis utcumque munita erat.

De Theoderico huius nominis sexto, Hollandiae comite nono, qui pugnavit cum Frisonibus et vicit. Alcmaria vastatur a Frisonibus.

CAP. VIII.

Florentio mortuo successit filius eius Theodericus sextus huius nominis, nonus comes Hollandiae et Zelandiae, sed Frisones eum recipere noluerunt. Anno igitur Domini mcxxxi brumali tempore, cum glacies fortissima omnem operuerat terram, comes Theodericus magnum et fortem congregans exercitum venit Alcmariam, atque die altera egrediens commisit cum eis proelium super glaciem, et multis caesis multisque captis, magnam Occidentalis Frisiae partem incendio consumpsit. Comes iste babuit fratrem Florentium nomine, qui rebellans contra comitem fratrem suum, secessit ad Occidentales Frisones. Qui laetati eius adventu, eo quod inimicus esset comiti Hollandiae, constituerunt

eum sui exercitus ducem, ut cum eis pugnaret contra Hollandos. Tunc Florentius iste cum Frisonibus captam Alcmariam totam incenderunt et solo coaequaverunt. Deinde Kenemariam ingressi omnia igne et ferro demoliti sunt usque Haerlem. Anno autem uno elapso, post inimicitias inter comitem et Florentium fratrem eius exortas, misit Lotharius secundus imperator et reconciliavit istos duos fratres. Erat enim Lotharius utriusque avunculus. Iste Lotharius dedit dominium Orientalis Frisiae, videlicet Oestergoe et Westergoe comiti Hollandiae nepoti suo, quod Henricus quartus paulo ante Conrado episcopo et ecclesiae Traiectensi perpetuo possidendum contulerat, ut supra diximus. Anno Domini mcxxvii, Andreas factus est vicesimus quintus episcopus Traiectensis. Anno igitur Domini mcxxx iste episcopus amovit duodecim canonicos presbyteros ex monasterio sancti Odulphi in Stauria, propter eorum demerita et reprobam vitam, restituitque ibidem monachos ordinis sancti Benedicti ex Oestbroeck prope Traiectum. Idem episcopus Traiectensis impetravit a Conrado tertio imperatore renovationem et confirmationem donationis de Oestergoe et Westergoe, Conrado vicesimo secundo episcopo Traiectensi antecessori suo factae. Similiter Herbertus eius successor eandem donationis confirmationem ab eodem Conrado tertio obtinuit.

De Herberto episcopo Traiectensi et praefectura civitatis Groningensis, atque proeliis de ecclesia sanctae Walburgis.

CAP. IX.

Anno Domini mcxxxviii electus est ad episcopatum Traiectensem Herbertus Friso, natus de Bierum, vir constans

et in ecclesiastica disciplina multum fervidus. Iste Herbertus propter quoddam necessarium negotium Romam profectus est. Qui expleto negotio Traiectum rediens, seditionem magnam in civitate repperit Groningensi. Nam Rodolphus castellanus Covordiensis occupavit ecclesiam sanctae Walburgis, et illam in modum castri cum excelsis propugnaculis, consilio et auxilio multorum civium sibi adhaerentium, munivit. Erat eodem tempore in Groningen Egbertus de Gronenborch, in civilibus causis civitatem ex parte episcopi administrans, qui Rodolphi omniumque sibi faventium erat adversarius. Hic cum suae partis civibus obsedit ecclesiam, sed expugnare non potuit. Igitur reversus Herbertus episcopus, et audiens seditionem tantam in civitate Groningen, illuc continuo perrexit, ecclesiam obsedit, et omnibus viribus ac instrumentis bellicis, quibus poterat, impugnavit, tandemque pulsis inde atque captis seditiosis obtinuit, civesque omnes iurare compulit, ne unquam de domo Dei domum belli facerent, vel deinceps similia contra episcopos attentarent, nec ipsum oppidum muro cingerent. Quod tamen processu temporis minime servaverunt. Tunc Herbertus habens duos fratres Ludolphum videlicet et Lefardum, quos exaltare volens, maiori praefecturam in Groningen et minori castrum in Covordia cum iurisdictione Trentae feudaliter donavit, iure proprietatis sibi successoribusque suis reservato. Antea enim usque ad haec tempora episcopi pro sua voluntate omnia praedicta suis, quibuscumque volebant, sine ullius contradictione contribuebant. Successu igitur temporis facta est haec donatio episcopis et ecclesiae Traiectensi in ruinam et perniciem magnam, ut infra suis locis patebit.

De Florentio tertio, Hollandiae comite decimo, et quibusdam gestis sub Godfrido vicesimo octavo episcopo Traiectensi.

CAP. X.

Florentius tertius filius Theoderici factus est decimus comes Hollandiae et Zelandiae anno Domini mclxiii. Sed Frisones eum recipere noluerunt. Anno Domini mclxiiii orta est dissensio inter Godfridum episcopum Traiectensem et nepotes Lefardi praefecti in Groningen. Episcopus enim dicebat praefecturam de Groningen vacare, ideoque omni iure ad episcopum iterum devolutam. Nam Lefardus primus praefectus non habuit filios, sed unicam filiam, quam Godscalco de Sepperoche nobili Westphalo copulavit. Qui tres ex ea genuit filios, videlicet Rodolphum, Mensonem et Herbertum. Et hi tres nepotes Lefardi occupaverunt praefecturam reclamante episcopo. Igitur hi tres fratres, desperantes se posse resistere episcopo, resignaverunt omnia iura sua et dominia Henrico comiti Geldriae, quae nihilominus ab eo iterum in feudum receperunt. Tunc hi tres fratres auxilio comitis Gelriae in forti quadam turri civitatis Groningensis obsederunt episcopum cum omni sua familia. Episcopus autem consilio comitis Clivensis, qui tum aderat, clam fugit de turri, suis pro custodia in turri relictis. Interim comes Gelriae cum civibus fortiter et sine intermissione cum instrumentis bellicis turrim impugnavit. Episcopus vero accedens Florentium comitem Hollandiae rogavit, ut praesidium sibi ferret contra comitem Gelriae. Tunc comes Florentius coacto exercitu magno et forti venit cum episcopo ad Groningen, obsedit civitatem, quotidie illam fortiter oppugnans. Comes autem Gelriae et dominus Theodericus de Batenborch cum electis militibus et civibus fortiter

restiterunt, civitatem defendendo. Et duravit haec dissensio circa annum. Interim Fredericus primus imperator misit Reinoldum archiepiscopum Coloniensem, qui istam dissensionem composuit tali moderamine: Ut episcopus Godfridus, acceptis trecentis marcis argenti, praefecturam civitatis sibi de iure vacantem tribus fratribus praescriptis dimitteret. Deinde anno Domini mclxv gravis orta est contentio inter praedictum Godfridum episcopum Traiectensem, et Florentium comitem Hollandiae propter dominium Orientalis Frisiae, videlicet Oestergoe et Westergoe. Nam Carolus calvus (ut Hollandi dicunt sed non probant) et post hunc Lotharius secundus imperatores dederunt illud usque Lavicam comitibus Hollandiae. Henricus autem quartus et Conradus tertius imperatores contulerunt illud episcopis et ecclesiae Traiectensi. Florentius enim comes reputans Frisiam prius patribus suis comitibus Hollandiae, quam episcopis Traiectensibus donatam, bellica manu, pulso episcopo, cogitavit Frisiam invadere ac suo subiicere dominio. Episcopus vero videns se comiti resistere non posse, auxilium Frederici primi Romanorum imperatoris imploravit. Qui imperator Traiectum veniens hanc dissensionem ita composuit, ut videlicet episcopus Traiectensis et comes Hollandiae virum unum industrium pariter eligerent, qui nomine et vice utriusque regeret Frisiam Orientalem, ita tamen ut talis per illos electus prius praesentaretur imperatori, ab eo potestatem iudicandi percepturus. Et iurabit talis electus, quatenus nec prece nec pretio alterius principum in nullo praeiudicium faciet, neque uni plus alio faveat. Si vero episcopus et comes praedicti in huiusmodi electione concordare nequiverint, tunc imperator ex parte utriusque unum constituet. Insuper in mense maio, quando ex consuetudine iudicia sunt exercenda, venient episcopus Traiectensis et comes Hollandiae singuli non amplius, quam cum triginta viris in Frisiam, atque aequaliter tunc

omnia emolumenta, quae illo anno in Frisia acciderint, partientur.

De praeliis Occidentalium Frisonum cum Hollandis, et quibusdam gestis Occidentalium Frisonum.

CAP. XI.

Anno Domini mclxvi videntes Occidentales Frisii comitem Florentium multis detentum negotiis, congregaverunt exercitum et pertransito fluvio venerunt Alcmariam, commissoque proelio occiderunt de Alcmariensibus octoginta viros. Deinde totum oppidum excepta ecclesia (quam communi decreto illaesam servaverunt) combusserunt. Deinde anno Domini mclxviii Florentius comes congregavit exercitum fortem et magnum, ingressusque Frisiam castra metatus est in pago Frisiae, qui dicitur Schoerl. Cumque comes ibidem moram faceret, secum mature deliberans, qua via, quove modo Frisiis devictis dominio optato potiretur, quidam eius nobiles morae impatientes, aut certe praedae avidi, sumpta secum parte exercitus (dissuadente tamen comite) ultro Frisiam ingressi sunt et pagum, qui Schaegen dicitur, incenderunt, atque capta praeda magna ad castra redire coeperunt. At Frisii latentis in insidiis aequo animo incendia et direptionem bonorum suorum ferebant, dummodo victoria de inimicis potirentur. Cumque ergo redirent et venissent circa loca insidiarum, alii ex diverso, alii ex insidiis erumpentes, durum commissum est proelium, tandemque Frisiis cessit victoria, et caesi sunt fere omnes adversarii, paucis elapsis, qui nuntiarent Domino suo. Inter quos multi occiderunt nobiles, quorum corpora delata in monasterio Egmundensi cum luctu et moerore suorum ibi-

dem sunt sepulturae tradita. Anno sequenti in die Ipoliti martyris iterum congregantes Frisii obsederunt Alcmariam diebus octo. Sed Kennemarienses omnes viros bello aptos educentes terra marique venerunt, ut praesidium ferrent civitati obsessae. Quibus adiuncti Alcmarienses exierunt obviam Frisiis ad proelium et commisso certamine xxx Frisones occiderunt, caeteri fuga salvati sunt omnes. Deinde post paucos annos comes Florentius congregans exercitum magnum et fortem nimis, ingressus est Occidentalem Frisiam, et combussit Winckel et Nidorp, ultraque progressus Tessaliam et Wiringen, acceptis ab eis quatuor millibus marcarum argenti, in pace dimisit. Isto tempore Godfridus (de quo supra dictum est) episcopus praefuit ecclesiae Traiectensi annis xxii et obiit anno Domini mclxxviii, quinto calendas Iunii. Iste episcopus aedificavit quatuor castra pro tuitione diocesis Traiectensis, videlicet Horst contra comitatum Gelriae, Montfoert contra comitatum Hollandiae, Follenhoe contra dominium et incursum Frisiae, Woorden contra rebellionem propriae civitatis. Dum aedificaretur castrum Follenhoe, Frisii pergentes, ut viderent castrum, dixerunt sibi mutuo sua lingua folle haech (*). Displicuit enim illis altitudo et fortitudo castri non ignorantes contra ipsos aedificatum. Et ideo (ut dicitur) vocatum est nomen castri Fullenhoegh (†).

(*) *Satis altum. Folle* ita Frisice adiectivis additum non est *multum* (*veel*), sed *plene* (*vol*).

(†) Quod nomen mox in *Follenhoe*, postea in *Vollenhove* abiit.

De fundatione monasteriorum Horti Mariae, Betleheem, Ludingekerke et Claricampi.

CAP. XII.

Anno Domini mclxiii, anno quarto Alexandri papae tertii, et undecimo Frederici primi imperatoris, fundatum est monasterium Horti Mariae, vulgo Marigaerde, ordinis Praemonstratensium a venerabili viro ac Deo digno sacerdote Frederico pastore de Hallem, qui primus illius monasterii abbas factus est post sanctissimam vitam; multis ac pene infinitis tam in vita quam post mortem clarus miraculis. Obiit anno Domini mclxxv, nonis Martii. Cuius vitam eleganti stilo conscripsit dominus Sibrandus praedicti monasterii abbas sextus. Eiusdem abbatis tempore fundatum est eiusdem ordinis monasterium monialium nomine Betleheem. Anno Domini mcliii obiit divus Bernardus Clarevallensis abbas primus. Deinde anno Domini mclxv, anno xii post mortem beati viri Bernardi abbatis, anno xiii Frederici primi imperatoris, fundatum est monasterium Claricampi in pago Renismagheest, cuius primus abbas fuit frater Eyso natione Friso, professus in Riddershusen. Quod monasterium quantum in principio fervoris sui floruerit, odore sanctae conversationis caeteros ad similes abbatias fundandas alliciens, alia monasteria eiusdem ordinis ex eo prodeuntia indicant. Nam eius primogenita est Floridus Campus; secunda ad sanctum Bernardum in Aedwert; tertia est Hierusalem, alias Gherkiscloester, de quibus infra suis in locis dicetur, capite xxxii. Anno Domini mclxviii, temporibus Alexandri papae tertii et Frederici primi imperatoris, anno suo xvi, de consensu venerabilis domini Godefridi vigesimi octavi episcopi Traiectensis electus est, et per eundem episcopum confirmatus Wigboldus natione Friso, primus abbas monasterii ordinis Canonicorum regu-

larium in Ludingekercke, quod diploma eiusdem episcopi Godfridi ostendit his verbis: In nomine sanctae et individuae Trinitatis: Godfridus Dei misericordia Traiectensis ecclesiae humilis minister. Notum esse volumus universis Christi fidelibus praesentibus atque futuris, qualiter frater Eilwerdus de Ludingekercke cum quibusdam Ludingmannorum a nobis petierit, ut concederemus magistrum ei atque fratribus suis regularibus, qui verbo et exemplo ipsos praecedere posset et secundum regulam beati Augustini regere nosset. Cujus iustae atque rationabili libenter annuentes petitioni, ad eandem ecclesiam divertimus, et audita omnium fratrum vita consentientium in id ipsum unanimi concordia, concessimus eis libertatem eligendi spiritualem patrem quemcumque voluissent. Ex consilio igitur Mathei abbatis sancti Pauli in Traiecto, et Hildebrandi abbatis in Wersla, cæterorumque virorum religiosorum, qui nobiscum una aderant, universi consenserunt in personam fratris Wigboldi, etc. Et infra: Proinde astantibus illis, qui advocati dicebantur ecclesiae, et nonnullis ex parentela Ludigmannorum, qui praesentes fuerant, sicut iam pridem fecerant, ita nobis intuentibus memoratam ecclesiam a propria possessione Deo libera donatione emancipabant. Quod factum statim banno nostro firmavimus, et ne quisquam fratribus ausu temerario quicquam iniuriae vel molestiae inferret, tam abbati, quam subditis, sive ministris suis, atque successoribus, cunctisque rebus suis habitis vel habendis etc. Et infra: Ecclesiam etiam ipsius ab omnibus tributis vel debitis liberam dimisimus, sed et dimidium beneficium et utilitatem ecclesiae in Minnersghae sibi suisque successoribus (salvo tamen iure nostro) tribuimus etc. Videtur ex praescriptis monasterium in Ludingekercke paulo ante fundatum, sed quo tempore aut anno invenire non potui. Ex hoc monasterio plura eiusdem ordinis prodiere monasteria, licet singula suos ac proprios habuerint fun-

datores, videlicet praepositura monialium in Aeningben, praepositura monialium in Achtlum et praepositura sanctimonalium in Schildwert, nunc vero sororum in Oegho cloester. Dominus Wigboldus, primus abbas in Ludinghekercke, vir magnae sanctitatis claruit miraculis. In vita Frederici, primi fundatoris et abbatis Horti Mariae, refert Sibrandus, eiusdem monasterii sextus abbas, quod anno Domini mclxxx adhuc consuetudo erat in Frisia ex traditione primitivae ecclesiae, quod in quadragesima nati cathecumeni (nisi periculum immineret) usque pascha reservabantur, ut novis tunc fontibus baptizarentur. Idem refert ibidem, quod anno Domini mclxxx tanta fuit sterilitas et fames, ut pro panibus homines ostreis marinis miseram recrearent vitam.

De fundatione monasterii Floridi Campi.

CAP. XIII.

Anno Domini mcxci ipso die beati Bonifacii episcopi et martyris ac sociorum eius, de consensu domini Baldewini vicesimi noni episcopi Traiectensis fundata et incepta est structura abbatiae Floridi Campi in possessionibus dominorum Titardi et Herdradi presbyterorum, Sibodi quoque laici fratrum. Isti venerandi tres fratres primi fundatores Floridi Campi (alias Olde cloester) attracti odore et fama religiosae vitae Claricampensium, omnia sua relinquentes se ipsos sponte sub suavi iugo Christi submiserunt, assignantes tam mobilia sua, quam immobilia, pro erectione novi monasterii. Igitur peracto noviciatus sui anno, anno videlicet Domini mcxcii, ipso die Christinae virginis, venerabilis dominus Gerbrandus abbas secundus Claricampi, praedictum dominum Titardum fundatorem praefecit in Abba-

tem Floridi Campi, Herdradum in priorem, et Sibodum conversum, una cum aliis fratribus ex suo monasterio assumptis, misit ad erigendum et perficiendum locum inceptum. Qui locus successu temporis auxiliante Divina gratia interius et exterius cumulatissime (ut cerni potest) tam in spiritualibus, quam in temporalibus crevit. Sortitus est autem locus ipse nomen a quodam prato monasterio vicino, ad occidentalem plagam, quod vulgo den Blomen camp vocabatur; ubi nunc et simili modo flores se catervatim ut tunc producunt. Ex hocque sibi monasterium sumpsit vocabulum Floridus Campus.

De Theoderico et Wilhelmo comitibus Hollandiae, et gestis sub eis in Frisia actis.

CAP. XIV.

Theodericus filius Florentii factus est undecimus comes Hollandiae et Zelandiae, sed Frisones occidentales eum admittere recusarunt. Anno igitur Domini mcxcv Wilhelmus frater Theoderici supradicti comitis rediens de passagio Terrae Sanctae, cum honore et gaudio exceptus est a Theoderico comite fratre suo. Sed pauco interposito tempore susurronum (*) malitia inimicitiae magnae inter istos duos fratres exortae sunt. Quare Wilhelmus relicta Hollandia perrexit ad occidentales Frisios, et colligavit se illis. Qui odio comitis Hollandiae cum gaudio eum excipientes, factus est eorum princeps et belli dux. Cum quibus quotidie

(*) *Susurrones*, homines maledici, qui clanculum spargunt multa sinistra. Voss., *De vit. serm. Lat.*, pag. 618. Latine dicuntur *susurratores*.

exiens ad vicinos Hollandiae pagos, illos comburendo et depraedando damna magna intulit Hollandis. Quare Theodericus Hollandiae comes congregato exercitu magno misit eum Alcmariam. Contra quos Wilhelmus cum exercitu Frisonum proeliaturus advenit. Sed inito iam certamine, ecce ipsi de Winckel et Nydorp pro pacta sibi ab Hollandis pecunia fugerunt de proelio, caeteris Frisiis cum domino Wilhelmo in periculo relictis. Videntes autem Frisii se proditos a suis, atque ab Hollandiae exercitu se undique circumdatos, nec fugiendi esse locum, sese mutuo cum suo domino Wilhelmo adhortantes, audacter ac fortiter Hollandorum exercitum pugnando irrumpentes, illaesi evaserunt. Post hoc Frisii, quia dominum Wilhelmum in tali periculo et necessitate fideliter eis assistentem experti sunt, semper illum ex animo carum habuerunt, atque se et sua omnia illi crediderunt.

Deinde Baldewinus episcopus Traiectensis, Theodericus praepositus in summo, et Otto comes de Benthem, fratres patrui praedictorum fratrum, reformaverunt inter illos pacem, ea videlicet conditione, quod Theodericus, quia senior erat, maneret comes Hollandiae, Wilhelmus vero Frisiam tam Occidentalem, quam Orientalem de manu comitis fratris sui acciperet in feudum. Insuper singulis annis idem Wilhelmus levaret ccc libras de theloneo Gheervlitensi. Et sic Wilhelmus ad suos regressus Frisios factus est utriusque Frisiae dilectus dominus. Aedificavit castrum in Oesterzee, habitavitque in illo. Et fuit continuum bellum inter ipsum et comitem de Cunre, percussitque in uno proelio ultra quingentos viros de exercitu comitis de Cunre.

De rebellione Trentae et Twentae contra episcopum Traiectensem.

CAP. XV.

Anno Domini mcxcv Baldewinus vicesimus nonus episcopus Traiectensis, frater Theoderici et Wilhelmi comitum Hollandiae et Ottonis comitis de Benthem, sapienter et cum magna auctoritate regebat Trentam et Twentam cum omni diocesi sua. Tempore Baldewini episcopi contentio erat inter episcopum Traiectensem et cives Groningenses propter ecclesiam sanctis Walburgis. Episcopus autem volebat ecclesiam praefatam pro sua sacella habere, allegans illam semper suorum antecessorum fuisse oratorium. E contra cives Groningenses illam suam esse parochiam affirmabant, atque temporibus beati Walfredi veluti arcem contra Nortmannos aedificatam. Quare Groningenses non multo post, propter timorem episcopi, superiorem testudinem praedictae ecclesiae demoliti sunt. Super quo ab episcopo redarguti atque de iuramento admoniti, quod Harberto episcopo iuraverant, ne (videlicet) civitatem suam unquam muro cingerent, magis indignati sunt. Habebat episcopus eo tempore Castellanum in castro Covordiae Laurentium nomine, qui ultra quam sibi constitutum fuerat, exigebat et extorsit a curribus ceterisque bonis Ottonis comitis de Benthem, fratris Baldewini episcopi Traiectensis, transeuntibus et sitis circa Covordiam, nec admonitus ab episcopo ab incepto destitit. Tandem episcopus Baldewinus congregato exercitu obsedit Covordiam et castrum sine intermissione instrumentis, quibus poterat, bellicis impugnans ad deditionem castri Laurentium adegit. Quo capto castrum Ottoni comiti de Benthem fratri suo custodiendum commisit. Deinde exiguo interposito tempore, Folkerus privignus Laurentii praedicti auxilio suorum castrum negligenter custo-

ditum dolo cepit, et omnem Trentam ac Twentam, nec non et [partem civitatis Groningensis ad rebellionem contra episcopum et Ottonem comitem incitavit. Et primo quidem Groningenses iudicem suae civitatis ab episcopo eis praefectum occidentes suam civitatem contra iusiurandum muro cingebant. Deinde Folkerus cum suis omnes redditus ex Trenta ac Twenta episcopo ex more debitos levavit. Quod audiens episcopus omnem fere Trentam et Twentam igne combussit, nec tamen sic ad obedientiam reduxit. Haec dum agerentur venerunt Traiectum Philippus archiepiscopus Coloniensis et Conradus episcopus Maguntinensis, et hanc discordiam tali reformaverunt conditione, ut Rodolphus verus castellanus castellanatum Covordiae Trentae et Twentae in omni iure et privilegio consuetis ab episcopo Traiectensi teneret, et episcopo pro omni damno illato solveret semel mille marcas argenti. Sed non diu haec pax duravit. Nam Otto comes de Benthem his pacis conditionibus non contentus cum episcopo Trentam armata manu hostiliter intravit, et commisso proelio cum Trentonibus, ab ipsis est victus et fugatus, atque caesis nonnullis de excercitu episcopi, centum electi pugnatores sunt capti. Deinde recollecto exercitu episcopus rediit, sed nihil perfecit. Tandem episcopus post multa bella et labores obdormivit in Domino anno Domini mcxcvii.

De Wilhelmo domino Frisiae et eius nuptiis Stauriae celebratis.

CAP. XVI.

Mortuo Baldewino episcopo Traiectensi discordia fuit inter capitulares de novo episcopo deligendo. Nam Theo-

dericus comes Hollandiae et Otto comes Gelriae cum potentia intrantes Traiectum singuli precibus et minis sibi quemque studebant attrahere capitularium, ut sic quisque pro suo arbitrio ac voto haberet episcopum. Theodericus enim comes Hollandiae rogavit pro domino Theoderico praeposito in summo, fratre Baldewini episcopi defuncti, cui pars capituli canonicorum et omnes cis-Isalani consenserunt. Alia pars canonicorum ad instantiam Ottonis comitis Gelriae elegit dominum Arnoldum de Ysenborch praepositum Daventriensem, cui ultra-Isalani adhaeserunt omnes. Audiens haec Henricus sextus imperator commisit Theoderico comiti Hollandiae administrationem temporalem diocesis Traiectensis, et iussit electos utrosque Romam ascendere, et causam discordiae a Romano pontifice determinari. Quod et factum est: nam Arnoldus confirmatus est tricesimus episcopus Traiectenses. Sed paucis interpositis diebus mortuus est Arnoldus et Romae sepultus. Tunc idem summus pontifex confirmavit et consecravit Theodericum praepositum supradictum tricesimum primum episcopum Traiectensem, qui et ipse dum ad suam properaret ecclesiam in via fato concessit. Interim dum haec Romae agerentur, Theodericus comes Hollandiae administravit temporalem iurisdictionem ecclesiae Traiectensis et habitavit in castro Horst. Sed industria Ottonis comitis Gelriae factum est, quod comes Hollandiae parum de redditibus ecclesiae levaret. Comes enim Gelriae antea semper foverat Trentones contra Baldewinum episcopum et comitem Hollandiae, quare nunc non incepta, sed aucta est inimicitia inter comites praefatos, fuitque bellum inter illos. Tunc quidam Gelriensis dictus Henricus Kraen coacto exercitu ingressus est Orientalem Frisiam incendia et rapinas multas faciens. Cui dominus Wilhelmus cum suis occurrens Frisonibus, eum patria expulit interfectis multis de eius exercitu. Post hoc Wilhelmus dominus Frisiae perrexit ad fratrem suum comitem Hollandiae

tunc morantem in castro Horst, volens visitare eum. Sed (ut quaedam cronicae dicunt) ab Henrico Kraen in via captus est ac vinculis mancipatus. Verum Ioannes de Beka, in cronica comitum Hollandiae, dicit ipsum captum iussu fratris sui comitis Hollandiae a quodam Henrico comite, atque carceri traditum. Qui paucis exactis diebus confractis vinculis et seris fugit ad Ottonem comitem Gelriae, a quo benigne susceptus propter veterem amicitiam, in expeditione Terrae Sanctae paulo ante cum eo contractam, humanissime illum tractavit, atque post paucos dies ad orientales Frisones illaesum remisit, a quibus cum ingenti plausu ac laetitia est receptus. Quibus Wilhelmus commotus beneficiis Aleidem filiam comitis Gelriae in uxorem petiit et accepit. Cuius nuptiae Stauriae cum magna solemnitate sunt celebratae, anno Domini mcxcviii. Deinde Theodericus tricesimus secundus episcopus Traiectensis, videns ecclesiam Traiectensem multis gravatam debitis, perrexit ad Orientalem Frisiam et venit Stauriam, ut subsidium peteret a Frisonibus contra gravamen ecclesiae Traicetensis. Wilhelmus autem dominus Frisiae haec audiens de Oesterzee venit Stauriam, et aegre ferens suae gentis exactionem episcopum in monasterio Stauriensi exercentem synodalem iustitiam captivavit, captumque in castrum suum in Oesterzee mittere voluit, sed inter cedentibus monachis et piis aliis hominibus episcopum illaesum abire permisit.

De Wilhelmo duodecimo comite Hollandiae et eius proeliis, et de Mari Mediterraneo.

CAP. XVII.

Anno Domini mcciii, obiit in Dordraco Theodericus undecimus comes Hollandiae relinquens unicam filiam nubilem

Adam nomine, quam adhuc in terminis exsequiarum mater Ludovico comiti de Lone desponsavit. Post mortem autem Theoderici comitis Wilhelmus eius frater, dominus Frisiae, ad dominum Hollandiae coepit aspirare. Qui cum quibusdam proceribus adversus Ludovicum apud Leidis pugnans, eundem vicit capta eius uxore nepte sua, quam in Texalia vinculis mancipavit. Ludovicus super his Theoderici episcopi Traiectensis imploravit auxilium. Qui pronus ad hoc propter iniuriam sibi nuper a Wilhelmo Stauriae factam, et promissam pecuniam (*), forti et magno contracto exercitu omnes Hollandos sibi cum domino Wilhelmo resistentes apud Zwadenberch contrivit. Deinde Wilhelmus in Zelandia existens, validum congregavit exercitum, et Ludovicum apud Voerschoten, aggressus superavit, atque nunquam reversurum Hollandia pepulit, et a Philippo Romanorum rege comes duodecimus Hollandiae deputatus est. Deinde inter Wilhelmum comitem et Theodericum episcopum facta est reconciliatio, ut comes cum quingentis militibus pro temeritate, quam circa Stauriam in episcopum pridem egerat, veniam postularet apud sanctum Martinum in Traiecto. Quod et ita factum est, et Wilhelmus a domino papa Innocentio tertio absolutus, securus deinceps comes Hollandiae permansit, habens (ut supra dictum est) in uxorem Aleidam filiam Ottonis comitis Gelriae, ex qua genuit Florentium sibi succedentem et Ottonem tricesimum sextum episcopum Traiectensem. Obiit autem Wilhelmus iste Hollandiae et Zelandiae comes anno Domini mccxxii sepultus in Reinsburch.

Anno Domini mcc tempore domini Wilhelmi comitis Hollandiae Mare Occidentale adhuc intravit mediam Frisiam, et dicebatur a Frisiis Mare Mediterraneum (vulgo die Middelzee).

(*) Sc. a Ludovico. In cod. MS. secunda manus addidit *dedit et*, negleeto nexu verborum, quo acc. *promissam pecuniam* pendet a praecedenti *propter*.

Influxit autem circa Berlecum, et ultra progrediens circa Lewardiam, Wirdum, Rauwert, Goutum usque Tiercwert. Ibique tantus fuit aquarum impetus, quod vulgus aggeres marinos suis sumptibus et laboribus indemnes custodire non praevaluerunt. Quare compulsi sunt plures terras suas cum oneribus aggerum monasteriis, tunc temporis multitudine conversorum abundantibus, ac religiose adhuc viventibus, resignare atque perpetuo donare. Qui conversi multis laboribus fortissimos facientes aggeres plurimum sunt ditati. Nam circa annum praedictum terra infra Stauriam et Medenblick nimia oceani alluvione paulatim defluente, coepit huius Maris Mediterranci fluxus sensim mitigari atque terra ipsa magis magisque quotidie accressere.

Crux praedicatur in Frisia pro recuperatione Terrae Sanctae.

CAP. XVIII.

Anno Domini mxcix tempore Urbani papae secundi et Henrici quinti imperatoris, post multa proelia capta est Iherusalem duce Godfredo de Bulion, qui factus est Iherosolymorum primus rex. Quem Christiani coronare volentes, ipse rennuit asseverans, se nolle auream coronam deferre in ea urbe, in qua Christus spineam tulisset. Deinde procedente tempore Christiani in illa Terra Sancta habitantes, quam Christus Dominus largo sanguine martyrum et frequenti confessorum sudore recuperatam Christianis restituerat, luxuria, avaritia, superbia caeterisque vitiis plurima perpetrantes, suscitavit eis Dominus Iesus adversarium Saladinum Aegipti et totius Asiae dominum, cui resistere non valebant divina ope destituti. Qui anno Domini mclxxxvii

sub Urbano papa tertio et Frederico imperatore primo post maximam Christianorum stragem Iherosolimam recepit. Quam civitatem post Godfredum Christiani reges et populi per octo et octoginta annos ingenti gloria possederant. Et licet Fredericus imperator, Philippus rex Francorum, Richardus rex Angliae, una cum Clemente tertio papa, navibus praemissis Syriam cum exercitu sint ingressi, tamen Frederico imperatore primo, dum in flumine lavaretur, submerso, ceterisque regibus, postquam contra Saladinum bellum aliquamdiu prospere gessissent, ad propria reversis, Christiani qui in Syria remanserant, omni destituti spe, id reliquum dominii, quod in ea provincia possederant amisere. Et sic propter peccata multiplicata populus orientalis et Iherusalem venerunt in opprobrium omnibus per circuitum. Quare Innocentius papa tertius, orientali compassus ecclesiae, praedicatores crucis per regna misit occidentis, orationes generales instituit, consilium indixit, quod in Lateranensi basilica celebravit, anno Domini mccxv, ubi principaliter ordinatum fuerat de his, quae ad subsidium Terrae Sanctae pertinebant. Terminus generalis expeditionis praefixus erat, infra quem idem pontifex obdormivit in domino, cui Honorius papa tertius successit. Oliverius autem scholasticus Coloniensis, postea Sabinensis episcopus, officium praedicationis crucis per provinciam Coloniensem suscepit, et devote implevit, et in Frisia multis praedicavit temporibus. Qui et ipse cum caeteris cruce signatis crucem assumpsit, et bella Christianorum contra infideles ultra mare, quae vidit luculento conscripsit stilo, ex cuius scriptis haec subiecta summatim excerpta sunt.

De prodigiis, quae visa sunt in Frisia tempore praedicationis Oliverii scholastici Coloniensis.

CAP. XIX.

Excitata fuit provincia Coloniensis ad obsequium Salvatoris per signa, quae apparuerunt in coelis. Nam in pago Frisiae Beden nomine, Monasteriensis diocesis, mense Maio, feria sexta ante pentecostem, triplex forma crucis aparuit in aëre, una candida versus aquilonem, alia versus meridiem eiusdem coloris et schematis, tertia medio colore (*) colorata habens crucis patibulum et figuram hominis in eo suspensam, elevatis brachiis et extensis, cum infixione clavorum in manibus et pedibus et capite inclinato. Haec media fuit inter alias duas, in quibus non erat effigies humani corporis. Alia vice in alio pago Frisiae eiusdem diocesis nomine Suterhusen tempore praedicationis crucis apparuit iuxta solem una crux coerulei coloris. Tertia fuit apparitio in diocesi Traiectensi in pago Dockinghae (nunc Dockum) in quo beatus Bonifacius episcopus Traiectensis coronatus fuit martyrio. Ubi in die martyris eiusdem, cum multa milia ad indictam stationem convenissent, apparuit crux magna et alba, ac si trabs ex adverso trabis artificialiter composita erat. Movebatur paulatim ab aquilone ad meridiem. Hoc signum vidimus omnes. Ex his verbis apparet ipsum Oliverium, illo die dum hoc contigit in Dockum praedicasse, aut saltem stationi interfuisse, quia *vidimus omnes* dicit. His igitur prodigiis Divinitus

(*) Haud dubito quin legendum sit: *tertia in medio coelo, colorata* rel. Haec igitur figura non alba erat, sed suis coloribus referebat et crucis speciem et hominis suspensi. Neque haec, ut illae, crux erat aequilatera (+), sed *crucis patibulum* (†).

ostensis moti, multi Frisii nobiles et ignobiles crucem assumpserunt.

De oppugnatione turris et civitatis Damiatae, in qua virtus Frisonum enituit.

CAP. XX.

Anno Domini mccxviii coggones quas Frisones et Teutones provinciae Coloniensis adduxerant, ad portum Acconitarum applicuerunt in mense Maio. Deinde infra triduum classis ipsa Damiatam applicuit, et absque sanguinis impensa terram hostilem occupavit. Cumque pauci Saraceni equites occurrerent ad portum, Friso quidam fixo in terram genu dextro et sinistra manu circumferens ancile, dextra spiculum vibrabat ferreum. Intuitus eum Saracenus et ludere existimans, subito eques cum equo a Frisone percussus corruit ad terram, aliis fugientibus. Exstructa sunt deinde instrumenta bellica contra turrim Damiatae, quae caput unum ferreae catenae continebat; reliquum (*) turris una civitatis, ad claudendum fluvium, ne naves ascenderent Christianorum. Sed considerantes Christiani quod fortitudo turris, nec machinis, nec quibusvis instrumentis bellicis, nec fame propter vicinitatem civitatis, nec suffossione propter operis spissitudinem et angustiam insulae capi facile non posset, Deo demonstrante Frisones et Teutonici duas coggones compingi et instar castri fortissimi communiri fecerunt. In summitate quatuor malorum castellum erexerunt, tabulis in quadrum compactis, opere reticulato contextum contra machinas, coriis obductum contra furo-

(*) i. e. alterum catenae caput.

rem ignis. Subter scala suspensa fuit fortis ac lata, tantae longitudinis, ut triginta cubitis proram excederet. Et opus adeo firmum apparuit, quod Ianuenses (*) et Pisani cum omnibus aliis, qui opus intus et foris, superius et inferius iussu principum Christiani exercitus diligenter contemplabantur, asserebant se nunquam tale ingenium super aquas aedificatum vidisse de lignis. Igitur feria sexta ante festum Bartholomei, anno quo supra, ut res omni careret invidia, de qualibet gente, quae tunc in Christianorum exercitu erant, ad huius negotii exsecutionem invitati sunt, licet sola gens Teutonicorum et Frisonum ad naves implendas sufficeret et regendas. In die itaque sancti Bartholomei apostoli, cum Nilus vehementer excrevisset, et aquarum impetus negotium plurimum impediret, cum multa difficultate et periculo dictum instrumentum ad latus aquilonare turris anchoris et funibus est applicitum. Nec minori periculo alia navis, cum propugnaculis in circuitu et castellulo in mali summitate ad pedem turris collocata substitit, virtute Teutonicorum et Frisonum ab igne Graeco, qui cominus et eminus iniectus pavorem incutere potuit, per liquorem acetosum et sabulum extinctus, defensa est. Iacuit patriarcha prostratus ante lignum crucis in pulvere, stans clerus in albis nudis pedibus, magnis clamavit vocibus in coelum. Cum autem extremitas scalae iam turrim attingeret, a defensoribus ipsius turris ignis suppositus in flammas lucidas erupit. Cumque Christiani ad ignis suffocationem occurrerent, suo pondere caput scalae depresserunt, ita ut pons tornatilis, qui maiori annexus fuerat inclinaretur. Tunc vir fortis, qui ducis Austriae vexillum gestabat, corruit martyrio coronatus. Saraceni vero signum cadentis tulerunt. Inclinata igitur scala ac ruinam minante, flammis insuper terribiliter crescentibus, atque nostris iam fugientibus, Baby-

(*) Genuenses.

lonii se putantes victores insultantium voces germinabant. Excercitus autem Christianorum complosis manibus ad terram prostratus, rigatis ubere fletu vultibus, pectora tundens, Iesum Christum Dominum gloriae, clamore valido et incessanter invocavit, gloriosam virginem et omnes sanctos et specialiter sanctum Bartholomeum interpellando. Quorum clamores pios exaudivit Dominus. Nam Christiani resumptis viribus stantes in scala, defensores turris gladiis lanceis et aliis instrumentis bellicis viriliter impugnaverunt. Miles quidam iuvenis Leodiensis diocesis primus turrim ascendit. Deinde Friso quidam iuvenculus, Hayo nomine, flagello connexo catena ferrea ad dextram et sinistram fortissime percussit, et quendam tenentem signum croceum soldani stravit et signum tulit. Tunc alii post alios succedentes, superatis hostibus, turrim superius obtinuerunt. Tunc Saraceni qui in inferiori parte turris latebant igne supposito superficiem ejus ligneam combusserunt. Victores nostri ignem sufferre non valentes, regressi sunt super scalam. Interim pons, qui in inferiori parte operis praeparatus fuerat, demissus est ad pedem turris angustum, per quem armati de navi descendentes malleis ferreis aggressi sunt ianuam, defendentibus eam intrinsecus Saracenis. Stabat autem utrumque instrumentum super coggones aedificatum immobile anchoris et funibus fixum. Tandem conclusi in turri colloquium petentes, se in servitutem sub pactione vitae dederunt, et sic nostri potiti sunt turri. Erat autem haec turris fortissima in profundo Nili fluminis sita.

De expugnatione Damiatae civitatis et miseria civium.

CAP. XXI.

Post captam turrim principes Christiani exercitus ipsam Damiatam obsidebant civitatem, quae fortis et potens erat valde. Nam gradatim triplici muro cingebatur. Primum habuit humilem ad custodiam fossati, secundum altiorem, tertium eminentiorem, unde Saraceni multos impetus contra Christianorum tentoria facientes, nunc victi, nunc recedebant victores. Construxerunt insuper Saraceni pontem per transversum fluminis Nili, ne nostri libere flumen versus civitatem ascendere valerent. Tunc Teutones et Frisii iustae indignationis zelo accincti, cum minori navi, cuius ministerio turris fuit capta, pontem imperterrito animo invaserunt, non habentes auxilium nisi de coelo. Pauciores enim viri quam decem de gente praedicta contra omnem fortitudinem Babyloniorum pontem ascendentes (spectante multitudine Christianorum et hanc audaciam non minus admirante, quam plurimum extollente) fregerunt eundem, et sic cum quatuor navibus, super quas erat pons fundatus, reversi sunt cum triumpho ad exercitum Christianorum, liberam viam et apertam sursum navigantibus relinquentes. Post longam tandem obsidionem, ferro, fame et peste, ultra quam scribi potest, afflicta, capta est civitas Damiata a Christianis anno Domini mccxix mense Novembri. Ingredientibus Christianis civitatem foetor intolerabilis occurrit et aspectus miserabilis. Mortui enim vivos interfecerunt. Nam non solum plateae mortuis erant plenae, sed et in domibus, in cubilibus et lectulis iacebant defuncti. Extincto viro mulier impotens surgere, et sublevantis carens auxilio, putredinem non ferens exspiravit. Parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis.

Infantes ad ubera matris pendentes inter amplexus morientium exspirabant. Octoginta milia promiscui sexus ab exordio obsidionis perierunt in civitate, exceptis eis, quos sanos vel languidos Christiani in civitate invenerant, qui amplius quam tria erant milia, qui omnes aut mortui sunt, aut venditi, aut baptizati. Deinde anno Domini mccxxi mense Iunio, egressi Christiani de Damiata intraverunt Aegyptum cum virtute magna. Sed in fine Augusti a soldani regumque, qui cum eo erant exercitu magno et forti, nec non et aquarum inundatione circumdati, et omni ex parte afflicti et diminuti coacti sunt compositionem cum soldano facere in terra Aegypti, ea videlicet conditione, ut soldanus lignum sanctae crucis, quod olim in proelio Christianis abstulerat, cum omnibus captivis quocumque tempore captis in regno Babylonis vel Coradini potestate detentis, Christianis restitueret, et omnem Christianum exercitum in Aegypto aquarum inundatione conclusum, cum omnibus rebus mobilibus liberum abire permitteret. Et Christiani civitatem Damiatam cum suis appenditiis nec non et captivos omnes Saracenos, quos in duobus regnis Aegypti videlicet et Iherusalem detinebant soldano restituerent. Et sic Damiata potens Aegypti civitas ad incredulos cito rediit. Causam autem ponit Oliverius in eodem libro dicens: Quia Christiani post captam civitatem nimis Deo et hominibus ingrati fuerant. Nam ut alia (inquit) praetermittam, donata coelitus illa civitate, in distributionem praedae in ea repertae, Christo largitori omnium bonorum decima non solvebatur. Similiter in distributione turrium et domorum, gens illa laudabilis et strenua Teutonicorum scilicet et Frisonum, quae a principio magna virtute Damiatam applicuit, aut nullam habuit sortem au vilem et ultimam. Cum tamen de classe coggonum, quas adduxit, victualibus et armis castra fidelium repleta fuissent, turris fluminis capta, transitus ad oppositam ripam praeparatus, pons superior et inferior

compositus etc. Contra talem ingratitudinem habet illa gens remedium, quoniam reddet Deus mercedem servis suis. Haec ex scriptis Oliverii de bellis Christianorum contra infideles ultra mare, summatim et breviter sunt extracta. De quibus plenius si quis informari voluerit, eiusdem Oliverii libros legat.

Quod expleto passagio multi Frisones ad propria redierunt non sine laude multorum.

CAP. XXII.

Verum ne quis invidorum haec, quae dicta sunt de Frisiis, mendacia iudicet aut fabulas, libet huic libro copias literarum, quas ad propria redeuntes secum detulerunt, inserere, scilicet Romani pontificis et imperatoris ad similia illos postmodum denuo invitantis. Post captam namque turrim et civitatem Damiatam, multi Frisii, expleto passagio suo, ad suos et sua redire cupientes, petierunt ab his, quibus huiusmodi negotium a principibus Christiani exercitus commissum fuerat, literas testimoniales ad praelatos et iudices Frisiae, quibus suam peregrinationem rite factam comprobarent. Et quia Oliverius saepe dictus, vir doctrinae et vitae sanctitate insignis, multis laboribus crucem per Frisiam praedicando, suis salubribus monitis et salutaribus exhortationibus, multos nobiles pariter ac ignobiles induxerat, ut signum crucis susciperent, in nomine eius, qui pro nobis peccatoribus crucem tulit, illamque Terram Sanctam, quam Dominus noster Iesus Christus suis pedibus suique sanguinis sacratissimi effusione consecraverat, visitarent; ideoque iam suo expleto passagio ab illo, tamquam patre, amico, atque speciali refugio, in tam longa peregrinatione

constituti, petierunt dimissionem. Qui quanta commendatione digna pro eis (licet minime id petierant) scripserit, exemplar literarum eius declarabit. Sciebant enim scriptum: Laudet te os alienum et non tuum.

EPISTOLA OLIVERII AD PRAELATOS ET CONSULES FRISIAE LAUDES FRISONUM CONTINENS.

Dilectis in Christo amicis, abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, plebanis, consulibus Frisiae, servus emptitius crucis Oliverus, dictus Scholasticus Coloniensis, pacem amare, terram pacificare, et ad portum aeternae salutis anhelare. Triumphator in Israhel, a quo datum omne optimum et omne donum perfectum, gentem vestram devotam et in laboribus perigrinationis perseverantem magnificavit super terram, quadrigam ipsus componens, in qua praemium aeternum promeruerunt, et famam temporalem, quam perdere non possunt, si incepto itinere perseveraverint usque in finem. Apud Damiatam siquidem humilitatem magnam ostenderunt, largitatem, obedientiam et audaciam, Saracenis formidolosi, Christianis chari. Unde vos praelatos ecclesiarum hortamur et obsecramus in Christo, quatenus, sicut ex statuto Lateranensis consilii teneamini iniuriatores eorum, qui apud Damiatam sunt aut fuerunt, per censuram ecclesiasticam, quam patriarcha publice protulit, et nos contra malefactores peregrinorum, raptores, fures et alios fraudatores elemosinarum promulgavimus, non negligatis. Et vos consules terrae praelatis vestris in hac re non contradicatis, sed denuntiatos vobis iniuriatores cautius evitetis. Nam peregrinos, quos Deus exaltavit, homines honorare tenentur. Scriptum apud Damiatam in exaltatione sanctae crucis.

Exemplar epistolae patriarchae Hierosolimitani, qua Frisiis copia datur redeundi ad sua atque bonum ipsis perhibetur testimonium.

CAP. XXIII.

A divina permissione dictus patriarcha Hierosolimitanus, dilectis in Christo fratribus in Clarocampo, et in horto beatae Mariae, et in Dockum abbatibus salutem in Domino et dilectionem. Latores praesentium Ro. decanum et magistrum I. (*) et ceteros cruce signatos de Oostergoe, qui antequam venirent in terram Hierosolimitanam et postquam nobiscum intraverunt Aegyptum, multas difficultates passi sunt in laboribus et expensis, dimisimus licentiatos et absolutos secundum indulgentiam Romanae ecclesiae in generali consilio constitutam. Genti Frisonum perhibentes bonum testimonium, eo quod bonam conversationem duxerunt, et in servitio Iesu Christi strenue laboraverunt et devote. Quocirca discretionem vestram monemus in Domino et rogamus, ut eosdem Frisones peregrinos ad vos redeuntes benigne suscipiatis. Et si quis tempore peregrinationis suae super rebus suis eos molestare praesumpserit, per ecclesiasticam censuram et (†) auctoritate Romanae ecclesiae damna illata resarciri faciatis eisdem. E contra vero illos cruce signatos, qui inobedientes reversi sunt contra formam peregrinorum constitutam in consilio generali arguatis, et ut veniant ad Christi servitium, compellatis.

Finis epistolae Patriarchae.

(*) Per literas *Ro.* et *I.* quae desunt in aliis exemplaribus, (vid. SCHOTAN. in *Tabl.* et *Charterb.* tom. I, 86), nomina ductorum indicari videntur, qui peregrinorum in patriam redeuntium cohorti praefuerunt.

(†) Pro *et* legere malim *ex*.

Exemplar epistolae Honorii papae tertii, qua invitantur Frisii secundo ad subsidium Terrae Sanctae, quia laudem prius meruerant.

CAP. XXIV.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus per Bremensem provinciam et totam terram Frisiam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Scimus quod multi turbati sunt multipliciter, ex eo, quod Dominus, qui cuncta sine cunctatione disponit, negotium Terrae Sanctae, quod iuxta spem populi Christiani valde prospere dirigere coeperat, tamquam iratus deseruisse videtur, dum civitatem Damiatam, quam post expensas innumeras, post labores inaestimabiles et inenarrabilia terrae marisque pericula, in manibus Christiani exercitus tradiderat, a Saracenis permisit (recipi) non sine gravi omnium Christi fidelium ignominia et dolore. Verum cum omnia faciat in sapientia Dominus nihil permittens in terra fieri sine causa, errat enormiter, qui errorem in eius beneplacitis suspicatur. Sed cum constat infallibiliter, quod iudicia Dei vera et universae viae eius misericordia sunt et veritas, ea tamquam incomprehensibilia secundum apostolum venerabiliter admirari, et has tamquam (haud) investigabiles humiliter venerari debemus, ut divinis operibus delectantes reddamur acceptabiles operanti. Veruntamen cum Dominus, quamdiu Christianus exercitus in timore divino instanter se tenuit, ut debebat, eis tamquam dux eorum non desierit mirabiliter prosperari. Si ergo abominatus abominationes eorum recessit a recedentibus, qui euntium in Hierusalem faciem praetendentes, animo properabant in Aegyptum, peccatis nostris debemus merito imputare, humiliantes Deo animas nostras, ut in ira misericordiae recordetur. Maxime cum et in hoc nobiscum misericorditer

egerit, quod signa irascentis ostendit, ut ad eum celerius per poenitentiam revertamur, qui procul dubio tunc vehementer irascitur, cum erga peccantes dedignatus irasci, eos propriae deserit voluntati, donec tamquam iumenta in suis stercoribus computrescant. Sicque fit quod nihil infelicius felicitate peccantium, sicut nihil est pene salubrius correctione delinquentium festinata. Ceterum etsi non sit, qui voluntatis divinae valeat reddere rationem, audacter tamen asserimus, quod cum non sit abbreviata manus Domini, nec virtus eius in aliquo diminuta, quin quando et quomodo velit, Terram Sanctam valeat liberare, ipsam tamen ad exercitationem fidelium patitur ab infidelibus detineri, ut legitime pro Hierusalem terrenam certantes, in coelesti figurata per istam coronet, cuius est participatio eius in idipsum. Et quidem huius rei gratia multorum millium animas a morte salvavit, adhuc multo plurium salvaturus. Sane cum alia vice Frisones signanter et apparenter, facto navali exercitu, servierunt Domino in partibus transmarinis, ita quod memoriale ipsorum recensebitur a generationibus laudantibus nomen vestrum: Vos tamquam insignes Christi athletas ad eius obsequium duximus specialiter advocandos; firmam spem fiduciamque tenentes, ut qui polletis inter caeteras nationes magnanimitate et fortitudine proelium Domini proeliemini viriliter et potenter. Ideoque universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino attente, et per apostolica vobis scripta mandamus in remissionem peccaminum vobis iniungentes, quatenus attendentes prudenter, quod non qui coeperit, sed qui perseveraverit commendatur. Et currentibus in stadio virtutibus universis sola perseverantia bravium accipit destinatum. Vos caput et caudam hostiae Domino immoletis, navalem praeparando exercitum, ut statuto passagio Domino succurratis, certi, si legitime certaveritis, de corona. Non enim taedere vos decet illi modico tempore militare,

qui pro vobis in cruce suis stipendiis militans, ut vos vitae aeternae redderet, mortem moriendo devicit, immensae gloriae suae facturus participes, qui se reddunt gratia sua dignos. Datum Reatz pridie idus Octobris pontificatus nostri anno decimo.

Hanc epistolam licet Romanus pontifex universis fidelibus Bremensis provinciae scripsisse, caput epistolae indicat, in processu tamen ad solius Frisonicae nationis commendationem stilum convertit.

Exemplar epistolae Frederici secundi imperatoris, Frisones ad subsidium Terrae Sanctae vocantis.

CAP. XXV.

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Siciliae rex, universis per Frisiam constitutis, quibus praesentes literae ostensae fuerint, fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Celebris fama vos docuit, et assertio publica iam instruxit, qualiter a praeterito mense Augusto xiii indictione usque ad duos annos completos, auctore Domino, disposuerimus in manu potenti et brachio extento transfretare ad subsidium et liberationem debitam Terrae Sanctae, quam Redemptor humani generis sua dignatus est praesentia consecrare, in qua mirabiliter operatus est nostrae salutis et fidei sacramenta. Cum sit ignominiosum principibus universis et regibus terrae, caeterisque, qui nomine Christiano censentur, ut tam diu non absque Christianitatis iniuria templum Domini et sanctam civitatem prophanet impius, et ancillae filius, dominam gentium, libertatisque patronam, (proh pudor) sub hostili

tirannide detineat captivatam. Sane quia zelus Domini nos pungit, qui de plenitudine divitiarum suarum maiorem prae participibus nostris accepimus portionem pro omnibus, quae retribuit nobis, ipsa licet digna futura retributio non sit ad factorem; onus illius terrae humeris nostris assumpsimus, nos ipsos in obsequium crucis obtulimus, imperium et regna, quae nobis contulit et commisit, suis obsequiis deputantes. Verum quia in tam felici passagio et victorioso exercitu Ihesu Christi (Domino excercituum cooperante) maior quam unquam fuerit, speratur utilitas proventura, expertam dudum in obsequio crucis gentis vestrae prudentiam nolumus praeterire, quin universos et singulos vestrum precibus et monitis excitemus, monentes universitatem vestram et exhortando mandantes, quatenus in comitatu nostro, tam pium tam honestum liberationi Terrae Sanctae laborem denuo subeatis. Vestram enim expertae sunt et timent prudentiam exterae nationes: ad quarum excidium exercuistis olim laudabiliter vires vestras, ubi sanguis vestrorum martyrum in servitium crucis effusus rutilat, et super obsidione et captione Damiatae clara eorum corpora memorantur. Exsurgat igitur virtus vestra, et ad ulciscendum sanguinem fratrum vestrorum, quem ob honorem crucis fuderunt, navalem exercitum praeparetis venturi unanimiter et potenter, ut ad liberandam Terram Sanctam statuto tempore simul procedamus. Nos enim benevolos ac favorabiles ad vestrum invenietis solatium et iuvamen, ac cunctis opportunitatibus vestris ac profectibus liberaliter assistemus. Datum Salerni primo Februarii xiv indictione.

Sigillum Frederici imperatoris.

Haec erat superscriptio in una parte sigilli:

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus.

Superscriptio alterius partis sic erat:
Roma caput mundi regit orbis regna rotundi.

De quodam nefario opere in Frisia perpetrato ac plaga magna inde secuta.

CAP. XXVI.

Anno Domini mccxvii, dum crux per Frisiam per totam Germaniam contra infideles praedicabatur, fuit in Frisia quidam Friso arte pugil, qui quoties de taberna ebrius rediit, toties uxorem verberibus et plagis tribulavit. Tempore quodam timore mariti infirmitatem simulans mulier praedicta, ne simulatio eadem posset notari, corpus Domini sibi dari postulavit. Venienti autem sacerdoti cum venerabili sacramento, pugil cum cypho cervisiae ebrius occurrens bibere monuit. Et cum sacerdos responderet: Corpus Domini porto, modo non bibam; iratus Friso cum cypho pyxidem percussit et omnes hostias de illa excussit, ita ut per pavimentum dispergerentur. Matronae vero, quae consolationis causa ad infirmam venerant, super singulas hostias tamquam stellas radiantes viderunt. Quas sacerdos gemens ac dolens in pyxidem recollegit et abiit. Friso vero a decano provinciae citatus est et excommunicatus, sed non curavit. Qui tandem ad hoc compulsus est, ut cruce signatus cum iam dicto sacerdote etiam cruce signato veniret Romam. Cui dominus Honorius papa tertius culpam confitenti pro poenitentia iniunxit, ut mare transiret, ibique tribus annis in armis Christo serviret. Quid plura? Mare ambo transierunt, et ante Damiatam civitatem mortui sunt ambo. Quibus defunctis, anno Domini mccxviii mare in partibus Frisiae

terminos egrediens multarum provinciarum terras occupavit, pagos delevit, ecclesias lapideas deiecit, tantam extinguens hominum multitudinem, ut summa centum milia transcenderet. Ita nempe exaltati sunt fluctus eius, ut turrium altitudines operire viderentur, procella procellam impellens generale diluvium minaretur, in tantum, ut vicinas provincias fluctus furentes involverent. Cumque causa tantae plagae populum lateret, matronae cuidam eiusdem gentis valde religiosae, Domino in ieiuniis, orationibus, vigiliis et elemosinis servienti, materterae videlicet domini Winiboldi abbatis sancti Bernardi in Aedwert, beata Dei genitrix apparens: sic, ait, propter iniuriam filii mei in sacramentum corporis eius factam submersa est Frisia; et adhuc amplius plagabitur, si condigna poenitentia non fuerit subsecuta. Moxque adiecit mater misericordiae: Leva oculos tuos contra mare. Quod cum fecisset, vidit pyxidem a pugile percussam in summitate fluctuum natantem. Quae cum in tantum appropinquasset, ut posset agnosci, ait beata virgo Maria: Ecce corpus filii mei, in loco enim, ubi dispersum est, aedificanda est ecclesia. Hoc etiam scito, quod ambo mortui sunt, pugil videlicet et sacerdos, sed pugil eo, quod sine condigna contritione obierit, sepultus est in inferno, sacerdos vero adhuc tenetur in purgatorio. Cognita hac visione dominus Theobaldus episcopus Monasteriensis, ad cuius diocesim magna pars Frisiae pertinet, missis literis suis solemnem pro peccatis provincialibus poenitentiam iniunxit. Sed quia poenitentia populi insufficiens fuerat, tertio anno post praedictum diluvium, iterum inundantibus aquis circa quadraginta milia hominum extincta sunt. Unde factus est tantus timor in Frisia, ut singuli singulis momentis mortem exspectarent, atque arescerent prae exspectatione. In qua facta est tanta pressura populorum, ut multi Frisonum provincias peterent alienas. Et impletum est illud Salvatoris: Erit in terris pressura gen-

tium prae confusione, sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus prae timore. Tunc matrona quaedam praedives ex praedicti pugilis domo ecclesiam aedificavit. Haec de verbo ad verbum ex dialogo Caesarii transsumpta sunt; cuius abbas eodem anno, quo haec contigerant, visitavit per Frisiam monasteria ordinis Cisterciensis. Quo autem in loco hoc nefas perpetratum, aut ecclesia sit constructa, scire non potui. Quidam dicunt in Wielsryp prope Franeker illud contigisse, illamque ecclesiam eo in loco constructam esse. Sed ego (salvo veriori iudicio) credo illud contigisse, ecclesiamque illam constructam esse ad orientem Lavicae fluminis in terra Groningensi. Et ad hoc credendum ducor verbis Caesarii scribentis, quod episcopus Monasteriensis indixit poenitentiam provincialibus. Quia illa pars Frisiae ultra Lavicam ad Monasteriensem pertinet diocesim. Si enim in Oestergo aut Westergo id factum fuisset non Monasteriensis, sed Traiectensis episcopus, ad cuius diocesim ista pars pertinere constat (exceptis octo pagis) poenitentiam indixisset populo. Item in quibusdam libris invenitur, hanc Frisiae submersionem factam fuisse anno Domini mcclxxxvii, ut patet ex sequentibus corruptis versiculis.

Dic semel m, bis c, semel octogintaque septem,
Sunt Frisones mersi, Nicasius indicat illud.

Sed Caesarius tempore quo supra dicit factum. Quia hoc tempore expugnata est Damiata civitas, et Honorius pontificatum Romanae ecclesiae tenuit, cuius auctoritate et consilio praedictus pugil ultra mare transiit.

De rebellione castellani Covordiensis et civitatis Groningensis contra episcopum Traiectensem.

CAP. XXVII.

Anno Domini mccxxv, orta est magna dissensio in civitate Groningensi, inter Egbertum praefectum (vulgo burchgravium) Groningensem et Rodolphum castellanum de Covordiae. Quod audiens Otto xxxiv episcopus Traiectensis venit Groningen cum manu valida, et fecit pacem inter illos, praecepitque utrisque conditiones servare pacis et recessit. Quo recedente venit Rodolphus castellanus Covordiae et destruxit domum praefecti Egberti, quam habuit iuxta Hamme. Deinde cum exercitu ingressus Groningen, rupto pacis foedere, armata manu pepulit Egbertum civitate. Egbertus autem expulsus civitate, secessit ad Frisones, et congregans exercitum validum Frisonum obsedit civitatem Groningen, illam quotidie fortiter impugnans. Rodolphus castellanus contra quotidianam oppugnationem Frisonum civitatem defendere desperans, relicta civitate, effugit cum suis et venit Covordiam. Frisones autem totam civitatem depopulantes, eam praeter paucas domos igne concremaverunt. Statim Egbertus ecclesiam beatae Walburgis in modum castri munivit, reliquam partem civitatis exustae et habitatoribus paene vacuae defendere proponit. Sed paucissimis interpositis diebus congregans Rodolphus castellanus omnem Drentam exercitu magno atque forti obsedit civitatem Groningen, sine intermissione illam impugnans. Tunc Otto episcopus, audito huiusmodi rumore, ab omnibus fere vicinioribus episcopis et principibus subsidiarium postulans exercitum et accipiens, nec non et proprios colligens electos pugnatores, iuncto sibi Gerardo comite Gelriae cum non spernendo exercitu venit in Drentam et fixit tentoria prope Anem. Considerans Rodolphus se episcopo inferiorem, nec aequo marte cum illo posse

pugnare, solvit obsidionem, et fixis castris suis iuxta Covordiam exspectabat adventum episcopi; ita quod tamen una palude ad dimidium miliare lata, aquosa et plana, exercitus hinc inde dividebatur. Unde difficilis et periculosus erat exercitui episcopi transitus ad ipsum. Altera autem die circa auroram datis signis surgit omnis episcopi exercitus, volens per paludem praedictam (cuius forte ignorabat aut non attendebat periculum) Rodolphum aggredi. Descenderunt omnes in profundum luti, quotquot intraverant nimio armorum pondere gravati, quos omnes Rodolphus iugulans, caeteros fugientes persecutus est, multos interficiens, sed plures capiens. Et sic rediit cum spoliis et captivis multis Covordiam. Captus est inter caeteros Gerardus dux Gelriae, dominus Gysbertus de Amstel. Ottonem autem episcopum invenerunt in ipsa palude, cuius capitis tonsuram gladiis suis atrocissime excoriaverunt, atque multis affectum ludibriis et poenis submerserunt in immundissima palude. Ceciderunt in illo certamine quingenti electi viri.

De Wibrando episcopo et eius proeliis contra Rodolphum castellanum, et de morte eiusdem Rodolphi.

CAP. XXVIII.

Mortuo Ottone episcopo, electus est Wibrandus episcopus Padebornensis, filius comitis de Oldenburch, xxxv episcopus Traiectensis. Qui, vir prudens et industrius, inveniens ecclesiam Traiectensem suis bonis et iuribus spoliatam, dolensque de morte Ottonis antecessoris sui, cum multis nobilibus honestisque militibus a Trentonibus crudelissime interfectis, perrexit in Groningen. Et anno Domini mccxxx

congregans et vocans ad se in civitatem Groningensem viros prudentes, fide dignos, multa vigentes memoria, clericos et laicos, qui facta episcoporum, quos ipsi plene noverant, sibi narrarent, maxime de Groningen, de Trenta et Covordia. Eo maxime quoniam ipse tunc contra Trentones et Covordienses cum ipsa civitate Groningensi et tota suae diocesis Frisia, qui sibi fidelissime astiterunt, per aliquot annos gravi bello laborabat. Audita occasione et primordiali origine totius mali (de qua habes supra capite nono) venit in Frisiam episcopus. Et quia terra Trentonum immediate duabus ex partibus iungitur terrae Frisonum diocesis Traiectensis, praedictus episcopus Wibrandus (sicut dicitur in vita venerabilis domini Sibrandi, sexti abbatis Horti beatae Mariae virginis, unde haec transsumpta sunt) utpote vir prudens et literatus ac multae eloquentiae, coepit cum praelatis Frisiae tractare, qualiter negotium suum contra Trentones utilissimum valeret habere effectum. Quorum quidam pro compositione primitus laborandum censuerunt. Alii autem e contra post factum nefarium, hostibus in pertinacia durantibus, et quasi de facto gaudentibus non pro compositione laborandum, sed crucis praedicationi, auctoritate Romani pontificis obtenta, instandum esse dixerunt, ut cruce signatorum nomine audito, se et sua gratiae episcopi commendarent, atque satisfactionem condignam, ipso poenitentiam iniugente, subirent. Hoc consilio accepto, praedicationi opera datur, innumerabilisque populorum multitudo signatur. Auditur fama huiusmodi in Trenta, contremiscunt Covordienses, timor et tremor omnes simul invadit, propter multitudinem cruce signatorum. Resumpto tamen spiritu Trentones tractare coeperunt, quo facto opus esset. Incidit forte in mentem alicuius eorum illud sapientis dictum: Munera excoecant oculos etiam prudentium. Inito ergo consilio, congregataque pecunia, aliquos amicorum seu familiarium suorum

modo per se, modo per nuntios interpellabant, ut sibi tempore huius necessitatis subvenirent, modo illis munera dantes et plura promittentes. Nec mora. Capti sunt a mammona iniquitatis nonnulli cruce signatorum, magisque fideles extiterunt illis, a quibus munera damnationis acceperunt, quam suis, qui colla sua ipsis ad protectionem subdiderunt. Trenta igitur circumcincta ab omni parte exercitubus innumeris. E contra Trentones habentes multitudinem conductorum armatorum, dividebant suum exercitum contra omnes obsidionum partes, atque viriliter se ad resistendum praeparabant. Facta autem congressione pugnatum est hinc et inde acriter. Trentones autem in amicis, quos inter inimicos habebant, confidentes, sponte, sed tamen ad faciem quasi inviti, inimicos intra suae terrae munitiones admiserunt, quot ad praedam et internecionem habere voluerunt. Sed dato signo vexilla proditorum sunt deiecta, populusque in fugam conversus est. Illorum autem, qui obsidionem seu munitionem intraverant, alii capti, alii vulnerati, alii ab hostibus crudeliter sunt occisi, inter quos et nobilis Hesselus decanus de Oestergo interfectus est. Audita autem fama fugae unius obsidionis, fugerunt et qui in alia fuerunt. Et sic illi, sic et isti vulnerati, capti et occisi sunt, qui effugere non potuerunt. Episcopus autem, qui iam terrae hostilis magnam partem intraverat, auditis quae suis contigerant, exercitum suum retraxit, et ad sua castra illaesum reduxit. Decanus autem Hesselus inter mortuos quaesitus et inventus, in suam patriam cum lachrimis suorum reductus, in Horto beatae Mariae sepelitur. Tandem post multos conflictus, quos Wibrandus episcopus habuit contra Rodolphum castellanum Covordiae, induciae factae sunt quindecim dierum. Tunc Rodolphus cum uno comite cognato suo venit Herdenberch in castro cum episcopo de conditionibus pacis tractaturus. Quem videntes castrenses, eum tamquam excommunicatum captum

vinculis mancipaverunt. Qui aliquamdiu cum magna contritione in vinculis vivens, tandem episcopo sive (ut quidam dicebant) annuente, sive episcopo reclamante (uti ipse episcopus et plures alii episcopum excusantes dixerunt) Rodolphus positus est super rotam cum suo cognato Hemmone. Haec ex vita domini Sibrandi abbatis Horti beatae Mariae. Post cuius mortem plus indignati Trentones collectisque viribus suis obsederunt Groningen. Frisones autem Monasteriensis diocesis iuverunt Trentones, Frisones vero diocesis Traiectensis auxilio fuerunt episcopo Episcopus igitur anno Domini mccxxxi, auxilio Frisonum suae diocesis soluta obsidione Groningensi, festinavit obsidere Covordiam, sed non praevaluit. Otto autem eius successor, praesidium sibi ferente Florentio comite Hollandiae eius fratre, Trentones cum Covordia suae ditioni subiugavit, ut sequenti dicetur capite.

Qualiter Florentius filius Wilhelmi, comes Hollandiae, Frisiae terminos intravit. Ex vita domini Sibrandi abbatis Horti Mariae.

CAP. XXIX.

Mortuo Wilhelmo, comiti successit eius filius Florentius quartus, comes decimus tertius Hollandiae et Zelandiae, qui anno Domini mccxxx venit ad Frisiam, et honorifice a Frisiis est receptus, et pro domino in Westergo, videlicet in Franecker (ubi locus ad hoc constitutus habebatur), est recognitus. Cumque causas ad se pertinentes humane satis tractare coepisset, animos nobilium terrae in favorem suae partis fortius tentavit inflectere, quatenus per eos intentionis suae secretum, quod per se revelare dissimulabat, nobilioribus terrae suffultus, effectui manciparet. Haec dum

sic aliquot diebus in suis negotiis ageret, ecce subito venit nuntius de civitate Traiectensi annuntians, dominum Wibrandum eiusdem civitatis episcopum viam universae carnis ingressum. Et quia praedictus comes fratrem habebat carnalem, iam praepositum in summo, aetate licet iuvenem, quantocius hac fama audita relictis tractatibus, quos habere coeperat in Frisia, ad iam dictam civitatem ire festinabat, quatenus eius consilio et inductu frater ad episcopalem dignitatem promoveri posset. Quod et ita factum est. Nec deinceps unquam comes iste partes Frisiae intrare apposuit, sicque gladius sanguinem forte sitiens, ac libertati Frisonum, hactenus a temporibus Caroli Romanorum imperatoris habitae, plus iusto invidens, qui iam quasi exemptus videbatur, in vagina nutu divino permansit. Huiusmodi autem electione confirmatione et celebrata anno Domini mccxxxiii Trentones, qui episcoporum, ut supra dictum est inimici capitales extiterant, recolentes, quae et quanta mala duobus episcopis huius electi antecessoribus fecerant, legatione transmissa sibi praecavere cupientes, in manus electi episcopi ac sui fratris comitis Hollandiae memorati se suaque dedentes, pacem sibi ac suis finibus affectuose postulabant, exactionem pecuniarum sibi imponendam pro omni errato, se fideliter statutis temporibus solvere spondentes. Comes ergo cum fratre electo, sapientiori usi consilio, plenam emendam, quae ipsis sine omni sanguinis effusione sponte offerebatur, recipiendam decreverunt. Et ita lis et discordia, multo tempore inter episcopos et Trentones habita, sopita est. Hac tamen conditione apposita, quod Trentones in loco, quo episcopus Otto bonae memoriae cum suis commilitonibus occisus fuerat, coenobium sororum Cisterciensium construerent competenterque dotarent, ubi divinae laudis organa iugiter in memoriam resonarent occisorum. Quod coenobium non multo post tempore, de eodem loco ex consensu Henrici episcopi, qui tertius ab ipso Ottone

tertio extiterat, pro statu claustri magis competenti translatum, et in parochia Roldensi in solitudine, quae Hassen ante vocabatur, constructum est, unde et nomen Assen accepit.

De Wilhelmo comite Hollandiae et Romanorum rege a Frisiis occiso.

CAP. XXX.

Post mortem Florentii factus est decimus quartus comes Hollandiae et Zelandiae Wilhelmus filius Florentii huius nominis secundus. Iste Wilhelmus vigesimo anno aetatis suae, anno videlicet Domini mccxlviii post depositionem Frederici secundi electus est concordi voto principum electorum in regem Romanorum. Qui ex more obsidens Aquisgranum habuit secum suo in exercitu Frisones, atque propter victoriam per eos consecutam, nec non laudabilibus ipsorum facinoribus ibidem apud Aquisgranum ostensis delectatus rex, innovavit et confirmavit omnia privilegia a Carolo magno Frisonibus concessa. Insuper ut munificentia regia erga suos fideles Frisones magis innotesceret, in perpetuam sui memoriam contulit eis locum specialem, muro modo cinctum, ecclesiae Aquensi contiguum, quem Frisii perpetuis temporibus, quando sacrosanctae reliquiae populo ostenduntur, occupant, nec quispiam alienorum in praesentem usque diem sine scitu ac consensu Frisonum occupare praesumit. Septimo anno regni sui Wilhelmus iste ad exhortationem Innocentii papae quarti, volens Romam pro imperiali benedictione ascendere, prius ad Hollandorum inductionem voluit occidentalem Frisiam, Hollandiam (ut ait) impugnantem, contra propria privilegia Frisiis paulo

ante concessa, suo subiicere dominio. Anno igitur Domini mcclv, rex ipse magno et forti stipatus exercitu ingressus est occidentalem Frisiam, cum iam totam terram glacies fortis satis operuerat. Ipse vero rex in dextrario sedens, ad pagum Hooghwoud concremandum, trans paludem securum exploravit aditum exercitui. Cumque sic pedestrem exercitum cum paucis praecessisset, ecce equus, cui sedebat in paludinoso vado, circumfracta glacie, paulatim immergi coepit. Quod videntes Frisones, ex insidiis undique consurgentes, ipsum regem cum paucis aliis occiderunt, in octava sanctae Agnetis virginis. Deinde congressi cum exercitu Hollandorum multos interemerunt in ore gladii. Maxima autem pars Dordracensium civium illo in proelio ceciderunt, sed et Delfenses fere omnes periere. Deinde cum ad spolia detrahenda redissent Frisones, cognoverunt regem tum iudicio exulum Hollandiae inter Frisios commorantium, tum ex armis regiis auro fulvo splendentibus, ipsum regem in ipso praelio cecidisse. Tunc quatuor nobiliores et prudentiores Frisiae, regium corpus sumentes, sepelierunt illud occulte in domo cuiusdam Frisonis, ut sic per succedentia tempora deperiret tam vindicta, quam memoria sui nominis.

Exemplar innovationis et confirmationis privilegiorum Wilhelmi Romanorum regis et Hollandiae comitis.

CAP. XXXI.

Wilhelmus Dei gratia Romanorum rex semper augustus universis per Frisiam constitutis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Ut cognoscat generatio Frisonum universa,

ac filii, qui nascentur ex iis, exsurgant, nota facere ea filiis eorundem, quibus subsidiis per patres eorum Romana et ecclesia et imperium fuerint sublevata, quibus virtutibus eorum strenuitas semper fuerit illustrata, qua strenuitate etiam eorum devotio ecclesiam et imperium crucis exaltavit desiderato triumpho, obsidio testatur Aquensis. Ac nos, ut ipsi et eorum posteri habeant ex hoc delectationis memoriale, et memoriae delectantis perhenne registrum scriptis celsitudinis nostrae tanto gratantius eorum meritis protestamur, quanto ad honorem altissimi, ac sublimationem fidei, ad defensionem ecclesiae sanctae Dei, et exaltationem imperii armati, crucis triumphantis vexillo venerunt ferventius ad pugnandum. Cum igitur a solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini praedicetur, et in Frisia magnum et laudabilius censeatur, dignum est, ut qui perfecit laudem ex incolis insularum, ut inimicum destrueret et ultorem, honoretur in ipsis, qui nos (propter eum qui angariatus (*) est tollere crucem suam devotione fervida) strenuis auxiliis honorarunt. Noverit igitur tam praesentium aetas, quam posteritas futurorum, quod nos pensatis meritis Frisonum, omnia iura, libertates et privilegia concessa Frisonibus universis a Carolo magno imperatore antecessore nostro sanctae memoriae liberaliter innovamus, et praesentis scripti patrocinio perpetuo confirmamus. Datum apud Aquisgranum in curia nostra magna, tertio nonas Novembris, anno Domini mccxlviii, indictione sexta, anno vero regni nostri primo, per manum Ebris praepositi nostri notarii. Sigillum domini Wilhelmi gloriosissimi Romanorum regis illustris.

(*) De verbo *angariare*, adigere ad aliquod onus, vid. Vossius, l. l., p. 653 coll., p. 24 et 420, qui citat Graecum ἀγγαρεύειν, ex Evang. Matth., V, 41.

De fundatione monasteriorum Aulae Dei, Gercks et Bouwe cloester et praedicatorum in Lewerdia.

CAP. XXXII.

Anno Domini mccxxxiii, sub Ottone huius nominis tertio, episcopo Traiectensi de quo supra diximus, sexto idus Septembris, a fundatione monasterii Floridi Campi anno xlii, fundavit dominus Dodo quartus abbas Floridi Campi monasterium ordinis Cisterciensis sanctimonialium dictum Aula Dei (vulgo Nyecloester) adducens ibidem moniales de Sion. Fundatum est autem monasterium Aulae Dei in possessionibus fratris Ulbodi conversi, professi in Florido Campo, qui illa praedia pro animae suae salute ad hoc donaverat, ut ibidem omni tempore consisteret monasterium sacrarum virginum Deo perpetuo servientium. Obiit autem ipse Ulbodus fundator monasterii Aulae Dei quinto calendas Septembris, ibidem sepultus. Anno Domini mccxl fuit in Twislum, parochia sancti Augustini, vir quidam dives et potens Gericus sivi Gercke nomine, non habens liberos. Ideoque Deum bonorum suorum cupiens facere haeredem, claustrum coepit aedificare in Wigarathorpe suorum praediorum. Qui accedens ad Sidachum abbatem Claricampi, intentionis suae eidem revelavit arcanum, petens sibi in idoneis personis Deum timentibus, aliisque ordini Cisterciensium necessariis provideri. Quod et dominus Sidachus praefatus omni, qua potuit, diligentia facere curans, praeposuit eidem monasterio in primum abbatem fratrem Wibrandum in Clarocampo professum virum bonum, doctum et nobilem. Vocatur hoc monasterium in Latino Hierusalem, sed vulgo Gerckis cloester.

Eodem tempore fuit in pago sancti Augustini vir quidam dives et nobilis nomine Bouwo, nec uxorem habens, nec liberos, qui construxerat iam pridem sacellam beato Ni-

colao in suo patrimonio, ex conniventia episcopi Monasteriensis, in cuius diocesi praedicta sacella erat sita, quam etiam sufficienter ad sacerdotalem sustentationem dotaverat. Videns postmodo fratrem Gericum ex suis iam bonis ad honorem omnipotentis Dei claustrum construxisse monachorum, sese per hoc amplius ad similia facienda incitatum suspicabatur. Accito igitur per nuntium domino Elgero abbate Horti Mariae, ordinis Praemonstratensium, aperuit ei suae intentionis secretum, dicens se relictis seculi vanitatibus omnia quae possidebat, eidem plene velle resignare. Quod et ita factum est. Nam abbas praedictus curam ipsius monasterii ab episcopo Monasteriensi, in cuius diocesi est constructum, in districtu videlicet Octo Pagorum (vulgo Acht-Kerspelen) suscipiens, introduxit in illo sanctimoniales ordinis Praemonstratensium ex Bethleem assumptas, cuius prima ecclesia consecrata est anno Domini mccxlii, septimo calendas Octobris. Anno Domini mccxlv, conventus Praedicatorum in Leuwerdia fundatur.

De proeliis Florentii, xv comitis Hollandiae, contra occidentales Frisones, et de quatuor castris in Frisia Occidentali aedificatis.

CAP. XXXIII.

Post mortem Wilhelmi Romanorum regis et comitis Hollandiae, factus est comes Hollandiae et Zelandiae (sed a Frisonibus non receptus) Florentius huius nominis quintus, filius Wilhelmi regis Romanorum, qui diu sub tutoribus vixit, quia puer erat. Anno Domini mcclxxiiii (*) commoti

(*) Scriptum est MCCLXXIIII, at secunda manu mutatum in MCCLXVIII.

sunt multarum civitatum et provinciarum inferioris Germaniae, praecipue in Hollandia et diocesi Traiectensi subditi contra nobiles. Qui magno concurrentes numero multorum nobilium castra destruxerunt, dicentes omnem nobilitatem, quae se hactenus iniuste oppresserat, debere exstirpari, eorum bona pauperibus erogari. Et omnibus civitatibus has conditiones acceptantibus pacem dederunt, sed cito cum dedecore oppressi sunt. Anno Domini mcclxxii Florentius comes Hollandiae filius Wilhelmi regis valido exercitu ingressus est Frisiam Occidentalem. Cui non minori animo, licet numero impares, Frisones occurrerunt in proelium. Commissoque certamine victi sunt a Frisiis Hollandi, caesis quingentis viris, caeteri fuga salvati sunt. In isto proelio multi nobiles ceciderunt, videlicet Werenboldus ex Haga, Albertus filius eius, Wolterus de Egmonda, Wilhelmus filius eius, Theodericus de Raephorst, et Gerardus frater eius, Iacobus eques auratus de Wassenaer, Gerardus de Harmalen, et Walterus Friso balivus Kennemariae. Deinde comes Florentius, restaurato exercitu, secundo venit in proelium contra Frisones maiori armatorum numero. Et commissum est atrox proelium, in quo superati Frisones fugam arripiunt, interfectis mille ducentis Frisonibus. In isto certamine quidam Friso grandaevae aetatis captus et vitae est reservatus ea conditione, ut locum, in quo corpus Wilhelmi regis sepultum est, ostenderet. Quo ostenso comes assumens ossa patris sui, in Middelburgensi monasterio honore tumulavit condigno. Domum autem Frisonis, in qua regium corpus hactenus sepultum fuerat, comes confringens, sacellam ibidem aedificavit in pago dicto Hoeghwout, in honorem beatae Mariae virginis, tantumque de redditibus suis illi loco assignavit, quantum loco et uni secerdoti pro honesto sufficiebat ministerio. Non tamen comes hac vice Frisones suo subiecit dominio. Sed anno Domini mcclxxxvii, mensis Decembris die xiiii, facta est

aëris tempestas maxima, quam tanta est secuta aquarum inundatio, ut ruptis undique marinis aggeribus infinita paene hominum pecudumque multitudo in Frisia perierit. Tunc comes Florentius videns Frisiam nimia aquarum inundatione opertam misit dominum Theodericum de Brederode cum classe navali in Occidentalem Frisiam, qui acceptis ex singulis paene pagis nobilioribus Frisiae obsidibus totam Occidentalem Frisiam sine bello subegit, quia vicinus vicino praesidio (aquarum inundatione praepediti) esse non poterat. Tunc comes refluentibus aquis, cum magno armatorum numero occidentalem ingrediens Frisiam, coepit quatuor fortissima (ne de cetero rebellare attentarent) aedificare castra: Primum in Medemblick mansitque illic comes usque castrum esset perfectum. Secundum castrum appellatum est Ennigeborch. Tertium post hoc erexit, quod vocavit Toernenburch. Quartum denique construxit cui nomen inditum est Nienburch, destructa prius et eversa civitate Fronegeest, per traditionem Fobis, quem comes cum promissa sibi pecunia posuit sub fundamento turris castri praedicti. Quae turris ab eo vulgo dicta est Fobis toorn usque in praesentem diem. Omnia praedicta castra Florentius comes providit omnibus necessariis rebus, bellicis videlicet instrumentis, victualibus et viris fortissimis, quibus contra Frisonum impetum possint conservari. Hunc Florentium comitem Hollandiae cepit et occidit dominus Gerardus de Velsen, eo quod uxorem eius vi oppresserat anno Domini mccxcvi quinto calendas Iulii. Quapropter et ipse Gerardus captus vitam tormentis finivit, et omnis progenies eius perpetuo relegata est exilio, licet minus iuste.

De proeliis Frisonum occidentalium post mortem Florentii comitis et de Wilhelmo episcopo Traiectensi.

CAP. XXXIV.

Mortuo Florentio anno Domini mccxcvi rexit Hollandiam Iohannes comes Hannoniae, ex parte Iohannis filii Florentii comitis, qui eo tempore adhuc adolescens erat apud Eduardum regem in Anglia. Eodem tempore Wilhelmus de Mechlinia fuit episcopus Traiectensis in numero xli. Iste Wilhelmus episcopus veniens ad occidentales Frisones, praedicavit episcopales indulgentias, ut pugnarent pro defensione patriae et bonorum suorum contra iniustam oppressionem comitum Hollandiae. Qui amore pristinae libertatis iam paene amissae, sua natura proni satis ad hoc, haud difficile episcopo talia hortanti aurem praebuere. Nam cum omnis servitus, iuxta Ciceronis sententiam, sit misera, illis vero miserrima est, qui libertatis dulcedinem gustaverunt. Igitur Frisii uno animo concordique voto concurrentes, obsederunt primo castrum in Widenes, sine cessatione illud oppugnantes. Territus Baldewinus de Naeldwyck castellanus castri cum suis, salvis corporibus et bonis exiens, castrum ad manus Frisonum tradidit, qui illud devastantes solo coaequaverunt. Deinde ultra procedentes castrum Enigenburch similiter captum funditus destruxerunt. Venerunt tunc ad Medenblick, et oppidum quidem igne consumentes, castrum forti cinxerunt obsidione. Episcopus autem Wilhelmus misit Frisonibus duas blidas et alia instrumenta bellica, quibus turres et muros demolientes castrum sine respiratione oppugnaverunt. Interim comes Ioannes Hannoniae, vicecomes Hollandiae, adunato magno in Hannonia exercitu, classe applicuit Medenblick. Qui cum Frisiis congressus, acriter hinc et inde pugnatum est. Tandem xxxv

Frisones occisi, ceteri fugerunt, et castrum restauratum omnibus necessariis est provisum.

De Ioanne comite Hollandiae et finali subiectione occidentalium Frisonum.

CAP. XXXV.

Anno Domini mccxcvii Ioannes filius Florentii veniens ex Anglia in Hollandia et Zelandia factus est xvi comes. Qui Frisones sibi rebelles volens subiugare venit, cum ingenti exercitu Alcmariam. Cui Frisones imperterriti pro defensione libertatis occurrentes, in agris apud Veronam convenerunt, ubi durum satis et cruentum commissum est proelium, in quo anceps diu pugna, tandem Frisii succumbentes, quatuor milia interfecti sunt, caeteri fuga salvati. De exercitu autem comitis interiit dominus Ioannes de Arkel cum quibusdam aliis. Contigit haec cruenta strages in agris pagi Veronensis, sexto calendas Aprilis. Deinde fecit comes totam illam Frisiae partem igne succendi. Audiens Wilhelmus episcopus Traiectensis occidentales Frisones a comite Hollandiae victos doluit, pergensque ad orientales Frisones, praedicavit omnibus contra comitem Hollandiae pugnantibus papales indulgentias, eo quod Hollandiae comites libertatem ab imperatore Frisiis datam et a Romano pontifice confirmatam contra fas impugnaverant. Venerunt igitur multi ex Oestergoe et Westergoe Frisones cum episcopo in Monkedam, ut praesidium ferrent occidentalibus Frisonibus. Sed ab Hollandis in armis paratis fugati sunt nonnullis interfectis. Tandem post infinita proelia cum comitibus Hollandiae habita, multamque sanguinis humani effusionem, videntes occidentales Frisones Iohannem Hollan-

diae comitem iam secundo contra episcopum et orientales Frisones, qui sibi auxilio venerant, potenter triumphasse, atque fortuna sibi adversante, non sine gravi damno suorum, semel atque iterum se victos, communi consilio miserunt ad Iohannem comitem Hollandiae legatos, se suaque omnia proprio motu illi submittentes. Quorum vota Iohannes comes grato complectens animo, accepit illos sub sua protectione. Quae omnia literis desuper confectis et sigillis totius communitatis, videlicet Hoochwouder Ambocht, Drechtiger Ambocht atque Gheestman Ambocht roborata sunt. Acta sunt haec Alcmariae anno Domini mccxcix (*) altera die omnium sanctorum. Et non invenio occidentales Frisones de caetero unquam rebellasse comitibus Hollandiae. Imo ipsi postea in praesentem usque diem (nescio quo spiritu ducti) magis impugnant libertatem orientalium Frisonum, quam caeteri Hollandi. Mortuo deinde comite Ioanne filio Florentii sine liberis, anno Domini mccc et in Reynsburch sepulto, factus est xvii comes Hollandiae Ioannes secundus comes Hannoniae, filius sororis Wilhelmi regis. In isto Ioanne filio Florentii comitis defecit primo linea virilis sexus Theoderici primi comitis Hollandiae per annos quadringentos triginta tres.

Exemplar literarum quibus Rodolphus imperator commisit Reinoldo comiti Gelriae Frisiam Orientalem.

CAP. XXXVI.

Anno Domini mccxc Rodolphus imperator contulit Orientalem Frisiam Reinoldo comiti Gelriae, cuius donationis exemplar sequitur in hac formam:

(*) Al. xcviii.

Rodolphus Dei gratia Romanorum rex semper augustus universis et singulis sacri Romani imperii fidelibus gratiam suam et omne bonum. Attendentes virtutum beneficia, virtutum insignia, constantis fidei suffragia, quibus Reinaldus comes Gelriae fidelis noster dilectus erga nos et Romanum imperium sacrum dinoscitur relucere, gerente confidentiae nostrae plenitudine de eodem, dicto nobili Gelriae comiti totam Frisiam, quae vulgariter dicitur Oestfrieslant, et omnem aliam Frisiam ad nos et imperium spectantem, excepta duntaxat illa parte, ad nobilem virum comitem Hollandiae pertinente, de nostrorum procerum consilio duximus committendam; dantes eidem plenariam potestatem per se et suos de debitis cognoscendi et puniendi, iudicandi, sententiandi, in facinorosos homines animadvertendi, poenas imponendi, iura nostra et imperii recuperandi, ampliandi, collectas seu precarias, cum sibi videbitur expedire, faciendi, in ipsa Frisia officiales iudices pro se constituendi, iura condendi, ea conservandi, faciendi, ordinandi, disponendi et tractandi, quae facere, ordinare et disponere possemus, si essemus ibi personaliter constituti. Ita quod de iustis redditibus, iustis precariis et de caeteris ex iusto iudicio provenientibus nobis, vel nostris in imperio successoribus, legitimam tenebitur computationis reddere rationem. Porro praedictam Frisiam, quam dicto comiti Gelriae duximus committendam, per nos vel nostros successores non debere ullatenus amoveri, nisi prius de expensis et impensis, quas in recuperatione et reformatione ipsius Frisiae pro se et suis duxerit faciendas et exponendas, sibi vel suis heredibus per nos vel successores nostros penitus refusis, praehabita computationis legitima ratione. Donis vero liberalitatibus, enceniis (*), redditibus, proventibus seu quibus-

(†) Legendum esse suspicor *exeniis*. *Exenium*, quod *servitium* interpretantur, idem esse creditur quod *xenium*, ξενεῖον, *hospitale*

cumque curialitatibus, seu factis seu faciendis ratione administrationis ipsius Frisiae, quae fuerint praedicto comiti per Frisiam praedictam, per dictum comitem aut eius haeredes nobis et nostris successoribus nullatenus computandis. Sane si dictum comitem in Frisia praedicta aliquas terras seu possessiones contigerit comparare, ad ipsum tamen imperium non spectantes, illas pacifice a nobis et imperio feudi titulo possidebit. Caeterum in dicti comitis laboris et sollicitudinum recompensam, quatuor milia marcarum argenti puri et examinati dignum duximus eidem comiti largienda. Et si nobis et successoribus nostris dictam terram Frisiae a dicto comite contigerit assignari, priusquam terram restituat, quatuor dicta milia marcarum, per nos vel successores nostros debent eidem comiti annotari et integraliter persolvi. Testes autem huius commissionis fuerunt inferius nominati nobiles, Fredericus burggravius de Nimagen, Everardus comes de Katzenelleboge (*), comes Albertus de Hohenberck, Ulricus de Hannouwen, Gerlacus de Straberc, magister Henricus de Klinckenberch, aulae nostrae prothonotarius et quamplures alii et nobiles et potentes. In praemissorum omnium testimonium et robur, praesens scriptum conscribi et maiestatis nostrae sigillo iussimus communiri. Datum Erfordiae quarto calendas Augusti indictione tertia, anno Domini mccxc. Regni vero nostri anno xvii.

---

donum. Vossius, l. l., p. 422, citat ex testamento sancti Remigii: *incolae loci illius, multiplicibus exeniis gravati.*

(*) Scriptum erat *Katzennewoge.*

Exemplar literarum Alberti Romanorum regis eandem commissionem patris sui confirmantium.

CAP. XXXVII.

Albertus Dei gratia Romanorum rex semper augustus universis et singulis sacri Romani imperii fidelibus praesentes literas inspecturis gratiam nostram et omne bonum. Ad universitatis vestrae notitiam cupimus pervenire tenorem praesentium, quod nos literas inclytae recordationis quondam Rodolphi Romanorum regis illustris, genitoris nostri charissimi, spectabili viro Reinoldo comiti Gelriae traditas vidimus in haec verba. Rodolphus Dei gratia Romanorum rex semper augustus universis et singulis etc. Nos vero praedictam commissionem ratam et gratam habentes, prout de verbo ad verbum superius est expressa, de benignitate regia confirmamus. In cuius rei testimonium praesens scriptum est. Datum apud Rapordiam septimo calendas Maii, indictione xii, anno Domini mccxcviiii. Regni vero nostri anno primo.

Non statim post hanc concessionem et donationem comes iste Gelriae impugnavit Frisones, sed diu exspectavit tempus sibi commodum ad invadendos Frisones. Quos (quia sponte illum suscipere nolebant) non sine gravi bello et sanguinis humani effusione invitos sibi subiicere posse cernebat. Interim anno Domini mcccxvii Fredericus de Diest factus est xliii episcopus Traiectensis, qui episcopatum gravavit debitis. Vnde accepta magna summa pecuniarum, impignoravit Reinoldo comiti Gelriae praescripto castrum Follenhoeg cum omni terra Transisalana. Tunc comes Gelriae oportunum ratus tempus et viam subiugandi Frisones, coacto magno armatorum numero ex Gelria et diocesi Tra-

iectensi, venit in Follenhoeg. Quem Frisii intrare terram eorum utile non iudicantes, occurrerunt ei in loco non procul a Follenhoeg dicto Berlazyl, ubi diu ancipiti proelio certatum est magnis viribus. Tandem Frisii victi, plures ceciderunt, caeteri fuga salvati sunt, anno Domini mcccxxxiii. Et reversus est Reinaldus comes Gelriae in terram suam, nec ultra apposuit impugnare Frisiam. Haec anticipando annorum ordinem, ratione praedictarum literarum, his paucis dicta sufficiant. Nunc ad ordinem revertamur.

Guido episcopus Traiectensis coepit aedificare castrum in Stellingwerf.

CAP. XXXVIII.

Anno Domini mcccxi Guido xlii episcopus Traiectensis, patruus Wilhelmi huius nominis tertii comitis Hollandiae (de quo infra), forti congregato exercitu coepit aedificare castrum in Stellingwerf, intendens illam Frisiae partem per illud suo subiugare dominio. Interim episcopus Guido vocatus est a Clemente quinto ad Viennense concilium, quare compulsus est opus inceptum dimittere. Tunc Frisones de Stellingwerf, absente episcopo et eius morte falso denuntiata, indignati, primo omnium opus per episcopum inchoatum funditus demoliti sunt. Insuper castrum de Follenhoegh obsidione durissima cinxerunt, sine intermissione illud impugnantes. Tandem Frisones fecerunt machinam ligneam mirae altitudinis tribus interstitiis distinctam, quae altitudinem turris et murorum eminebat. De summo autem interstitio pugnabant vel proiiciebant lateres in summitates murorum. Ex secundo seu medio pugnabant acutis iaculis et spiculis. Ex tertio vero et infimo contibus et aliis obtusis

instrumentis bellicis. Vestiebant autem machinam, quia lignea erat, extrinsecus pellibus vitulinis contra ignem. Et admoventes eam ad castrum, pugnaverunt ex ea totis viribus. Castellanus autem cum suis non minori fortitudine illud contra impetum Frisonum defendit constanti animo.

Missis interim nuntiis nota facta sunt episcopo in Francia, quae fiebant in Follenhoegh. Qui festinus veniens in Hollandiam congregavit exercitum magnum et fortem, praesidium illi ferente Wilhelmo comite Hollandiae. Exercitu deinde navibus imposito Mare meridionale est ingressus. Videns itaque castellanus in summitate turris castri Follenhoegh, classem magnam adventantem ex Hollandia, laetatus est; et parvum vasculum replens stupa lini cum pice et sulphure, extrinsecus acutos clavos ferreos in circuitu infixit, et sic igne imposito ardens projecit in summo interstitio machinae praedictae, quod pellibus adhaerens per acutos illos clavos superiorem machinae partem incendit. Tunc Frisones, qui ex superiori interstitio pugnabant ignem ferre non valentes partim mortui sunt, partim membris confractis ceciderunt ex summitate ad medium. Quo incendio turbati omnes fugerunt, quia episcopum cum magna classe appropinquantem cernebant. Castellanus autem castri erumpens, fugientes insequendo, nonnullos interemit. Tunc episcopus egrediens cum omni suo exercitu ad terram, fixit tentoria sua sub divo. Et vocans ad se dominum Florentium praepositum in summo, et dominum Iohannem de Arkel consiliarios suos, nec non et dominum Theodericum de Brederoede et Nicolaum de Putten, qui exercitui Hollandiae comitis praeerant, consulens eos et quaerens, qua via, quo medio Frisiam ingredientes ultionem caperent de eis: tandem conclusum est et praeconis voce proclamatum, ut omnes et singuli crastino mane essent parati, atque Frisiam ingredientes omnes pagos igne consumerent, viros repugnantes interficerent, bona sibi quisque

diriperet. Sicque Frisia, maxime illa pars, quae episcopum impugnaverat, igni, ferro atque neci destinata est. Sed (ut dicitur) homo proponit, Deus autem disponit. Ecce enim illa eadem nocte, tanta aëris tempestas, ventorum vis, densitasque pluviarum divina factae sunt providentia, ut mane facto tentoria diruta et dissipata, via, qua eundum fuerat, nimia aquarum pluvia quasi operta videbantur. Unde episcopus et exercitus duces attoniti, tam repentinam aëris mutationem ipsorum obsistentem proposito, redierunt quisque dimisso exercitu ad sua. Et gaudentes Frisones laudaverunt Dominum Deum suum, qui hac imminenti clade eos sua piamina liberavit.

Circa annum Domini mcccv dominus Nicolaus Persyn, eques auratus in Hollandia, vendidit abbati et conventui Horti Mariae (vulgo Marigaerde) in Frisia insulam dictam Markenhove, ex opposito Monnekedam, in Mari meridionali sitam, pro centum libris Hollandiae.

De universali pace in Frisia, et articulis pro conservatione reipublicae, et communitatis tempore pacis per Frisios ordinati.

CAP. XXXIX.

Wilhelmus huius nominis tertius, filius Iohannis comitis Hannoniae, factus est xviii comes Hollandiae, Zelandiae et Hannoniae, et dominus Occidentalis Frisiae. Sub isto Wilhelmo anno Domini mcccxv, facta est fames magna nimis in Frisia. Unde in coena Domini una mensura tritici valebat marcam bonae monetae. Deinde famem secuta est ingens mortalitas hominum. Post quam Deus respiciens suos sperantes in se, dedit universalem pacem per totam Frisiam.

quod tunc propter continuas impugnationes circumiacentium principum rarum fuit Frisiis et novum, anno Domini mcccxxii, sed non duravit, quia comes Hollandiae cito labefactare studuit hanc pacem.

SEQUUNTUR ARTICULI IN COMMUNI CONVENTIONE PRO CONSERVATIONE REIPUBLICAE A FRISONIBUS CONCEPTI ET ORDINATI TEMPORE PACIS.

In nomine Domini, amen. Anno nativitatis Domini mcccxxiii, altera die Lamberti. Nos greetmanni, iudices, praelati et clerus terrarum Oestergo et Westergo, cum caeteris Zelandiis Frisiae, ad concordiam et reformationem constitutionum Opstallisbaem constitutarum, ordinavimus diversitates literarum sub hac forma, singulis articulis reformatis et conscriptis nunc et perpetuo valituris.

Primus Articulus.

Si aliquis princeps secularis vel spiritualis, cuiuscumque nominis vel dignitatis existat, nos Frisones vel aliquos ex nostris impugnaverit, volens nos iugo subiicere servitutis, communi concursu et armata manu nostram libertatem mutuo tueamur.

Secundus Articulus.

Ut res furto sublatae, cuiuscumque fuerint conditionis, apud quemcumque reperiantur, vero ac legitimo restituantur possessori, pretio solutionis minime persoluto, furem vero suspendio praecipimus condemnari. Si autem aliquis res furto sublatas aut furem violenter detinuerit aut scienter, ad satisfaciendum de dictis furtis teneatur, et in poenam judicibus viginti solvat marcas sterlingen. Idem de spoliis et de rebus spoliatis observari volumus.

Tertius Articulus.

Incendiarii nocturni concrementur, diurni vero damnum incendii taxatione praemissa in septuplo recompensent, et

in poena viginti marcarum maneant iudicibus obligati. Detentores vero eorumdem puniantur poena de furibus praemissa. Idem de publicis agrorum depopulatoribus firmiter observetur.

Quartus Articulus.

Si quis pretio vel pecunia corruptus dominum suum occiderit, seu alteri cuicumque occidendum tradiderit, et de hoc convictus fuerit, de tali crimine puniatur, sicut de incendiariis nocturnis est iam praemissum. Item apostata a suo praelato legitime admonitus, si se emendare noluerit; detentorem eiusmodi in viginti marcis duximus puniendum. Et omnes nostri fori impedientes quoscumque praelatos religiosos, ne suos subditos excedentes libere corrigant, ad poenam viginti marcarum obligamus.

Quintus Articulus.

Quicumque captivaverit sacerdotem, eidem teneatur in decem marcis pro emenda, et a iudicibus eadem poena percellatur. Quicumque vero laicum captivaverit, laeso in quinque marcis, et iudicibus totidem teneatur.

Sextus Articulus.

Quicumque iurati seu consules ad negotium pacis in Opstallisbaem deputati, ad locum eundem euntes, ibidem commorantes ac redeuntes, sub poena quadringentarum marcarum tranquilla pace laetentur, cuius pecuniae medietas iudicibus, alia medietas heredibus tribuatur. Aliis vero ad locum praedictum properantibus vinculum pacis sub poena octoginta marcarum conservetur, et iudicibus tantundem persolvatur.

Septimus Articulus.

Si quis hominem alterius terrae aut insulae occiderit, iudicibus in sexaginta et heredibus in totidem sit obligatus.

Octavus Articulus.

Si quis iudicibus communitatis alicuius terrae rebellis ex-

titerit, et aliae insulae fuerint in adiutorium evocatae, cuilibet insulae venienti in poenam suae rebellionis centum marcas solvere teneatur.

Nonus Articulus.

Quicumque iudex negligens vel iniuste iudicans inventus fuerit in viginti marcas punietur.

Decimus Articulus.

Ut pax in perpetuum observetur, iudices sub poena periurii discordantes ad pacem studeant revocare, dissensiones et lites rite determinando.

Undecimus Articulus.

Quicumque laicum occiderit in septuplum iudicibus et heredibus condemnetur, mutilationes vero et laesiones membrorum etiam in septuplum puniantur.

Duodecimus Articulus.

Homicidia vero et laesiones seu iniuriae aliae clericorum in decupla poena, dummodo in sacris fuerint constituti, legitime puniantur.

Decimus tertius Articulus.

Quicumque puerum masculum vel foeminam infra legitimos annos ad contrahendum acceperit vel tradiderit, sine scitu tutoris et proximioris heredis, poena centum marcarum puniatur et puerum restituat, et eidem puero secundum antiquum wilker et novas constitutiones satisfaciat.

Decimus quartus Articulus.

Praedia emenda vel vendenda cedant viro vel mulieri, a cuius patribus vel avis processerint, nisi alius eum in consanguinitate praecellat proximior.

Decimus quintus Articulus.

Successores hereditatum quocumque modo evenerint proximo secundum leges et canones cedant successori, nisi discedens cum consilio rectoris in ultimo testamento aliter duxerit ordinandum. Transgrediens aut in contra-

*

rium agens et violentiam faciens, poena viginti marcarum a iudicibus puniatur.

Decimus sextus Articulus.

Omnes sententias diffinitivas, quae vulgo ferdban nuncupantur, inviolabiliter statuimus observari, nisi per iudices, successores et quatuor clericos meliores et doctiores et unum praelatum districtus illius necessario et necessitatis evidentia iusto tamen modo fuerint transmutandae.

Decimus septimus Articulus.

Si quis autem homicidium post compositionem et osculum pacis perpetraverit, a patria sua per annum proscriptus maneat, papam et non alium visitet absolvendus. Castrum autem, si quod habeat, destruatur, domus vero lignea, quam habuit, sententia iudicum publicetur.

Decimus octavus Articulus.

Mutilationes membrorum notabilium ex indignatione factae, utpote oculorum, pedum, manuum, nasi, vel labiorum, puniantur sicut de homicidiis est praemissum.

Decimus nonus Articulus.

Conspiratores contra rempublicam et ordinationes praedictas poena viginti marcarum puniantur; et conspirationes eorundem sub eadem poena praecipimus penitus aboleri.

Vicesimus Articulus.

Fratres ordinis praedicatorum et ordinis minorum et fratres de Stauria, dummodo discretos (fratre Folperdo penitus excluso) miserint, admittere decrevimus et statuimus ad petendum, nec alios admittimus nisi completa petitione praedictorum.

Vicesimus primus Articulus. De moneta.

De moneta, Turonenses et de Anglia sterlingos, et Monasterienses seu Osnabruggenses, Lovanenses, Dordracenses, Hallenses et Copkinos argenteos et rotundos, milites (vulgo ridders), et volucres (vulgo fliegers), denarios admittimus, Turonense pro quatuor Monasteriensibus vel Osnabruggen-

sibus, vel pro tribus sterlingen novis de Anglia computato. Solidum autem sterlingorum novorum, vel quatuor Turonenses pro quindecim Monasteriensibus vel Osnabruggensibus, qui vulgo nye penningen nuncupantur, computamus. Duodecim antiquae Engelsche pro sex ridderen, vel sex fliegeren pro quindecim Monasteriensibus vel Osnabruggensibus. Et quinque Copkini pro sterlingen decrevimus computare. Quatuor halren pro uno milite. Tres Lovensche pro uno Engelsche. Moneta autem minorum denariorum, quae vulgo cleyne penningen nominantur, in pondere admittimus decem et septem pro uno sterlingen computandos et ponderandos. Si quis in pondere deliquerit, et huiusmodi denarios portaverit, falsarius computabitur, et per iudices furti iudicio corrigetur. Omnem autem aliam monetam quo ad partes Frisiae, communi decreto Frisonum interdicimus et sub interdicto ponimus, ac penitus abolere decrevimus et abolemus in perpetuum per praesentes.

Vicesimus secundus Articulus.

Si quis Zelandinus in aliam Zelandiam pro quaerimonia vel rei cuiuslibet venerit infra triduum finem sui negotii per iudices consequatur. Sin autem, in expensis iudicis et greetmanni ac coniudicum suorum maneat, quousque finem sui negotii per iudices consequatur.

Vicesimus tertius Articulus.

Ad robur autem et roboris diurnitatem constitutionum praedictarum decrevimus et statuimus, ut quilibet iudex Zelandinus in festo Paschae noviter electus sub iuramento suae commissionis iureiurando deponat et affirmet, pacis et ordinationis praedictos articulos se cum suis subditis perpetuo observare, et in id ipsum plebs vel populus suae iurisdictionis, cuiuscumque conditionis sint vel existant, iureiurando vel fide media se obligent et astringant.

Vicesimus quartus Articulus.

Iudices seculares de rebus et personis ecclesiasticis se non intromittant sub poena viginti marcarum.

Vicesimus quintus Articulus.

Clerici si pro electione iudicum secularium munera acceperint in quadruplum restituant, si de hoc convicti fuerint, de caetero electione carituri, ipsa electione ad communitatem districtus devoluta.

Vicesimus sextus Articulus.

Si aliqui alicuius districtus per contumaciam a communitate se separaverint, per iudices redire compellantur.

Vicesimus septimus Articulus.

Si quis hominem occiderit, ab ingressu ecclesiae iuxta consuetudinem antiquitus observatam per annum integrum arceatur, alioquin iudicibus in decem marcis maneat obligatus. Si vero idem plenam emendam heredibus non poterit praestare, captus eisdem heredibus tradatur. Si vero aliquis eum contumaciter detinuerit, pro eo satisfacere compellatur. Iudex vero in cuius territorio detentus fuerit, si conscius fuerit et ipsum repetere negligat, caeteris iudicibus in viginti marcis maneat obligatus.

Vicesimus octavus Articulus.

Nulli clerico soli in testamento et in ultimis voluntatibus absque duobus vel tribus testibus fides adhibeatur.

Vicesimus nonus Articulus.

Si quis alicui iudici infra terminum suae iurisdictionis iniuriam gravem vel mortem irrogaverit in decuplum puniatur.

Tricesimus Articulus.

Si quis clericorum sine consilio aliorum, quorum interest, aliquem nominaverit, in perpetuum voce nominandi sit cariturus. Si vero nominationi tali quis consenserit, poena viginti marcarum judicibus maneat obligatus, ac electio maneat irrita.

Tricesimus primus Articulus.

Quicumque in iudicio debitum, quod ab eo petitur, se asserit solvisse, assertioni suae, nisi duobus testibus fide dignis praesentibus de spetie et quantitate debiti exprimentibus, non credatur quoquomodo.

Tricesimus secundus Articulus.

Iudices cuiuslibet districtus compellant electores iudicum secularium sub poena viginti marcarum, ut eligant iudices dominica in albis, vel saltem in illa septimana. Et si quis singulariter elegerit, poena viginti marcarum puniatur. Electus similiter si electioni consenserit, et ille similiter qui iuramentum illi ordinaverit. Et quicumque electus fuerit a maiori et saniori parte praeferatur. Si vero iudex secularis electionem praedictam non promoverit infra tres dies, uti contra homicidam esset procedendum, sic contra ipsum procedatur. Greetmannus ille negligens cuilibet greetmanno et suis coniudicibus cuiuslibet districtus marcas sterlingorum persolvat.

Tricesimus tertius Articulus.

Iudices terrae nostrae in antiquo districtu Franecker iuxta multitudinem iuramentorum exhibitorum causas non diffiniant sed secundum iuramenta ab antecessoribus nostris antiquitus constituta seu consueta. Et nullus sacerdos ad iurandum admittatur, nisi iuramento suo deponat, se fuisse praesentem et oculis vidisse, vel auribus rem gestam personaliter audisse. Item nullus sacerdos alienus extra congregationem coetus Hertwerth in iuramentis audiatur, nisi factum extra huiusmodi districtum fuerit perpetratum. In iuramentis nihilominus, quae aeffte tyoech vulgo nuncupantur, in suo robore duraturis.

Tricesimus quartus Articulus.

Si quis asserit se habere caput graviter laesum et petit incidi, obliget se iudicibus pignore octo talentorum, quod amittat, si testa illaesa reperiatur. Si vero laesa inventa

fuerit de consilio quorum interest primo, secundo et tertio transfodiatur. Primo laesus habebit plenam emendam, secundo plenae emendae medietatem, tertio quartam partem plenae emendae consequatur. Et si pluries testam transfodi contingat laeso exinde nihil tribuatur, dum ex una incisione et ex unius vulneris hoc accidat percussione.

Tricesimus quintus Articulus.

Si quis contra alium querimoniam deposuerit, actor in principio litis omnia iuramenta seu probationes allegando proponat ad ampliora non audiendus, ut reus plenam se deliberandi habeat facultatem.

Finis.

Wilhelmus comes Hollandiae impugnavit Frisones.

CAP. XL.

Anno Domini mcccxxviii, Wilhelmus comes Hollandiae supradictus iterum coepit impugnare Frisones orientales, volens iugo suae servitutis subiicere. Comparatis igitur multis navibus bellorum usui aptis, misit illas cum magna armatorum copia contra Frisones in Mari meridionali. Qui quotidie Oudemarden, Niemarden et pagos mari vicinos depraedantes magna inferebant damna. Quod Frisii videntes nec aequo ferentes animo miserunt et ipsi classem in mari, quae terminos suos defenderet contra iniustam comitis impugnationem. Sed Frisones quascumque in mari naves expugnare poterant, ablatis navibus cum bonis, homines submergebant. Quod considerantes praelati Frisiae et insigniores Stauriae cives de consensu communitatis coeperunt cum comite tractare, ut induciis factis, ea quae pacis sunt tractarentur. Quare et dies et locus in Haerlem assignatus est, ut convenientes pacem facerent. Ubi post

multa colloquia hinc et inde habita, ea conditione pacis foedera sunt facta et accepta, quatenus Frisones intra biennium more vasallorum bona sua feudalia de manu comitis acciperent; iustitiarios suos sine contradictione admitterent etc. Et sic Frisia ad tempus pacem habebat, nec comes tamen quod voluit obtinuit. Obiit autem comes iste anno Domini mcccxxxvii.

Anno Domini mcccxxxvi, in vigilia Simonis et Iudae fuit magnum in Frisia diluvium, homines multos, pecora vero submergens innumerabilia. Eodem anno fuerunt proelia multa inter Frisones et Groningenses.

Anno Domini mcccxxxvii primo fundatum est monasterium ordinis Carmelitarum beatae Mariae virginis in Woldesende.

Hoc tempore monasteria videlicet Clarus Campus, Floridus Campus, Ludinge Kercke et Lidlum multos habuere conversos, qui in pretio apud seculares nobiles pariter et ignobiles hactenus propter religiosam fuerunt vitam. Nunc ergo isti conversi coeperunt facere pactum cum capitaneis, ut sibi mutuo propriis expensis cum certo armatorum numero contra adversarios pro bonis defendendis subvenirent. Et quando capitanei unius partis foedus inierunt cum monasteriis unius ordinis, tunc alii capitanei alterius partis seu factionis videntes se inferiores ob potentiam conversorum, quibus adversarii sui confoederati erant, percusserunt et ipsi foedus cum conversis monasteriorum alterius ordinis, ut sic potentes essent eorum praesidio resistere adversariis suis. Et cum singula monasteria sibi confoederatis capitaneis fideliter assistere sive iustam sive iniustam habentibus causam vellent, ortae sunt invidiae, aemulationes et factiones successu temporis inter ipsa monasteria ut infra suis locis dicemus. Et haec consideratio prima et principalis videtur fuisse causa destructionis disciplinae regularis in ipsis monasteriis.

Quomodo Wilhelmus xix comes Hollandiae Frisones impugnans ab eis est cum multis peremptus.

CAP. XLI.

Wilhelmus huius nominis quartus factus est post Wilhelmum patrem suum xix comes Hollandiae, Zelandiae et Hannoniae, anno Domini mcccxxxvii. Qui omni tempore vitae suae bellis intentus fuit, et ad arma promptus, atque multa proelia, non sine immortali laude, contra infideles crucis Christi inimicos cum regibus Christianis confecit. Anno igitur Domini mcccxlv, iste Wilhelmus iam tertio reversus cum gloria ex Prussia obsedit civitatem Traiectensem, habens in expeditione sua octoginta quinque millia armatorum, per sex continuas septimanas. Tandem in profesto Mariae Magdalenae eiusdem anni pace inter illos remata, idem comes cum omni exercitu aggressus est Frisiam, ut eis dominaretur. Igitur cum eius exercitus minus ordinate transfretaret, quidam Ioannes de Hannonia ad australem partem monasterii sancti Odulphi prope Stauriam super ripam maris in prato dicto Suitfenne exspectans reliquas naves subsequentes, interim priusquam aliae applicarent, aggressus unum globum Frisonum declinantem persequentes usque ad monasterium et immunitatem monasterii praefati, quod ipse Iohannes cum suis impugnavit, sed non impune. Nam e vestigio plures accurrentes Frisones illos pene omnes occiderunt, divina eos persequente ultione, quia locis Deo consecratis honorem et reverentiam debitam non dederunt. Interim dum haec quasi acta fuissent, applicuit et ipse comes cum armatorum maiori numero et nobiliori ad borealem partem eiusdem monasterii, nescius omnino factorum prioris exercitus. Qui videns Frisones occurrentes sibi, non exspectavit reliquum exercitum in mari sequentem, sed pagum viciniorem primo aggressu incendit, et

quendam nobilem Frisonem usque ad mortem se viriliter defendentem propria manu interfecit. Videntes ergo Frisones incendium, simul conglobati, ipsum comitem cum omni suo exercitu interemerunt, et in vindictam nobilis Frisii occisi fere omnes mortuos decollaverunt. Et sic factum est quod ab hora sexta de mane usque ad horam vesperarum, excepto comite occisa sunt octodecim hominum millia pariter ac submersa. Inter quos insigniores hi fuerunt dominus de Horn, dominus de Ligne, dominus de Valecont, dominus de Manii, dominus de Antongen, dominus de Hamstede ex Zelandia, dominus de Marwede ex Flandria, et isti septem omnes barones. Gerardus mitten baerde, Wilhelmus de Naeldwyck, Simon et Theodericus de Teilingen, Guido de Asperen, Ioannes, Reinerus et Wilhelmus de Montforde, Theodericus de Zanthorst, Harmannus de Zwieten, Florentius de Merwen, Oetgerus de Spangen, Gerardus, Everardus et Alferdus de Bergerhorst, Wilhelmus de Dongen, Theodericus de Vlaencoert, Gerardus de Floremuyl etc. Et hi omnes equites aurati. In quibusdam cronicis legimus, ducentos quadraginta equestris ordinis viros in eo proelio occidisse, exceptis militibus stipendiatis, civibus et vulgo, qui pene innumerabiles erant; quod ossa occisorum Stauriae in caemiterio monasterii divi Benedicti in unum tumulum congesta testantur. De quibus Gerardus Noviomagus haut ignobilis poeta subiecta cecinit carmina.

Egressum Sneca me excepit Stauria, quondam
Postibus ex auro factis assueta domorum
Limina fulcire, at modo vix vestigia prisci
Splendoris retinet, fluctus perpessa furentes
Vicini Oceani, licet hic tamen ossa videre
Congesta in tumulum Hollandorum principe caeso
A Frisiis, pulchra pro libertate paratis
Mortis adire domos, patrio vel vivere iure.

Facta est autem haec strages extra Stauriam xxv die Septembris, hoc est in profesto Cosmae et Damiani martirum, anno Domini mcccxlv. Et statuerunt Frisones communi decreto hunc diem in honorem divae virginis Mariae ab incolis terrae Frisiae, id est a Stauria usque ad Lavicam fluvium perpetuo solemniter celebrandum, quod in hodiernum usque diem inviolabiliter servatur. Delatum est autem corpus Wilhelmi comitis, et quorundam nobilium secum occisorum in Florido Campo solemni monasterio Frisiae, ibique iacuit sepultum usque ad annum Domini mcccxcviii. Tunc Albertus xxi comes Hollandiae, eius ex sorore nepos, abstulit corpus comitis avunculi sui, et sepelivit illud in (*). Hunc comitem a Frisonibus interficiendum praedixit Reinaldus comes Gelriae cum eum de sacro fonte levaret. Refert Petrus prior Floriesfrensis monasterii, ordinis Praemonstratensis, diocesis Leodiensis, in compendio cronicarum, quod ipse eodem anno, quo comes Wilhelmus a Frisonibus fuerat interfectus, interrogavit quendam religiosum ex Frisia euntem ad capitulum generale, quid factum esset de comite Hollandiae. Qui respondit quod mortuus erat excommunicatus. Adiungens talem excommunicationis causam, quia videlicet impugnaverat Frisones, qui liberi sunt, habentes privilegium, quod omnes eorum impugnantes libertatem sunt apostolica auctoritate excommunicati. Cuius privilegii tenor talis est. Carolus divina favente clementia Romanorum imperator, etc. Haec ille ubi supra. Est tamen notandum, quod principes impugnantes libertatem Frisonum a Carolo magno ipsis datam, secundum tenorem privilegii ipsius Caroli, ipso facto excommunicati non sunt, sed a pontifice maximo excommunicandi, si tamen Frisones gravamina contra libertatem ipsis illata in

(*) Nomen in antiquissimo exemplari omissum, in aliis MSS. additur *Egmondt*, in aliis *Hannonia Valencenis*.

privilegio libertatis ipsi pontifici summo denunciaverint et ostenderint.

De Margareta imperatrice et Wilhelmo comite eius filio atque de partialitate in Hollandia.

CAP. XLII.

Mortuo comite praedicto absque liberis Margareta imperatrix uxor Lodovici imperatoris, ducis Bavariae, descendit post mortem fratris sui Wilhelmi comitis defuncti in Hollandia, et in ultionem necis fratris sui in Frisia perempti, confiscavit omnia bona, quae Frisii tam spirituales, quam seculares habuerunt in Hollandia. Inprimis insulam Marckenhove quam (ut supra eodem libro capite xxxviii diximus) abbas de Marigaerde emerat a domino Nicolao de Persyn, imperatrix vendidit diversis et pluribus emptoribus et mercatoribus. Similiter omnia privilegia et iura abbati et conventui de Ludingekercke a Wilhelmo Romanorum rege et comite Hollandiae data et concessa abstulit, et cui voluit dedit. Deinde Wilhelmum seniorem filium suum fecit comitem Hollandiae, qui fuit xx comes Hollandiae et Zelandiae. Qui post paucos annos resignavit matri suae comitatum Hollandiae, sed instinctu quorundam, qui illi magis, quam matri imperatrici faverunt, propria autoritate resumpsit. Ex hoc facto scilicet anno Domini mcccl ortae sunt duae partialitates in Hollandia, quae antea non fuerunt; unde multa damna et magna incommoda nobilibus, civitatibus et vulgo emerserunt. Quarum una dicebatur vulgo die Hoecx, et huius partis capita fuerunt dominus de Brederoede, dominus de Leck et illi de Buickhorst. Alia partialitas dicebatur die Cabelaus, cuius capitanei fuerunt

dominus de Arckel, dominus de Egmonda et dominus de Heemskerck. Istae duae partialitates totam commoverunt Hollandiam, causantes rapinas, incendia et homicidia per totam Hollandiam. Eodem pene tempore et annis etiam in Gelria coeperunt duae partialitates videlicet Bronchorst et Hekers. Reinoldus enim comes Gelriae, cuius supra eodem libro non raro mentionem feci, reliquit duos filios. Primogenitus dictus est Reinoldus, et factus est comes Gelriae. Secundus dictus est Eduerdus. Qui Eduerdus ambiens comitatum, auxilio illius partis, quae Bronckhorst dicitur pugnavit contra Reinoldum comitem fratrem suum, quem Hekers iuvabant. Et duravit ista partialitas annis multis in Gelria non sine gravi detrimento illius terrae. Quando autem partialitates in Frisia primo sunt ortae necdum inveni, nisi quod non sine ratione indubitanter credo, hoc eodem tempore videlicet circa annum Domini mcccl, hanc pestem etiam in Frisia ortam fuisse ex conversis monasteriorum et capitaneis iis confoederatis, ut supra eodem libro capite xl diximus. Post novem autem annos comes Wilhelmus supradictus factus est amens et in custodia usque ad finem vitae suae positus, et dictus est die dolle Graef.

Anno Domini mcccl tanta fuit per Frisiam pestilentia, quantam nunquam prior aetas experta fuit.

De Alberto comite Hollandiae et de proeliis cum Frisonibus.

CAP. XLIII.

Anno Domini mccclvii, Albertus filius Ludowici imperatoris et ducis Bavariae, frater Wilhelmi comitis praedicti

factus est de voluntate Margaretae imperatricis matris suae xxi comes Hollandiae. Qui habuit uxorem Margaretam filiam ducis Lotharingiae, quae genuit ei Albertum ducem Bavariae, Wilhelmum comitem de Oesterwant, qui post patrem factus est comes Hollandiae, Iohannem episcopum Leodiensem, Katherinam ducissam Geldriae, Iohannam reginam Bohemiae, Margaretam ducissam Burgundiae, et Iohannam ducissam Austriae. Iste comes anno Domini mccclxxiii, combussit Schellingen insulam, ubi nonnulli tam de Hollandia quam de Schellingen interempti sunt. Anno Domini mcccxcv in festo Epiphaniae, Wilhelmo filio ducis Alberti Bavariae et comitis Hollandiae sedente ad mensam regis Franciae, venit Heraldus regis Franciae et scidit mensale in duas partes ante illum, dicens illum indignum esse mensa regia, eo quod arma sive insignia non haberet, quae amisit in Frisia, quando avunculus suus magnus Wilhelmus ibidem interfectus fuit. Quam confusionem aegre ferens Wilhelmus cum indignatione surrexit de mensa, salutatoque rege ad patrem perrexit, indicans ei, qualis sibi confusio in curia regis Franciae facta esset per comitem de Nyvers dapiferum Hannoniae. Quod audiens pater eius Albertus iratus est valde. Anno igitur Domini mcccxcvi Albertus congregavit exercitum centum octoginta milia bellatorum de Francia, Anglia, Hispania, Bavaria, Gelria, Hannonia, Hollandia et Zelandia, cum duobus filiis Alberto de Bavaria et Wilhelmo de Oesterwant. Qui transfretato Mari meridionali applicuit cum quatuor milibus et septingentis navibus rostratis, exceptis barcis aliisque navibus minoribus, circa Cunre, ut Frisiam sibi subiugaret, et mortem avunculi sui Stauriae interfecti ulciscereturⁱ. Contra quem Frisii aciem suam direxerunt et convenerunt in die decollationis Ioannis Baptistae in campo magno circa Schotersyl. Ubi ad multas horas pugnatum est acriter. Tandem Frisones fugati, sexcenti in eo proelio ceciderunt. Impetum enim

fecerunt in exercitum illum grandem et impegerunt quasi in montem aereum. Corruerunt in eo certamine multi nobiles capitanei Frisonum, inter quos fuit Iw Iwingha capitaneus in Bolswerdia. Dux itaque gustata Frisonum audacia, videnque illos magis velle mori libere, quam vili sub eo vivere servitute, retraxit pedem, nec ultra progressus est in terram, sed rediit unde venerat, non tamen sine magno sui exercitus damno.

Albertus dux secundo redit et dominio Frisiae potitur (*).

CAP. XLIV.

Eodem quoque tempore in Lavicam fluvium naves quasdam miserat, ut ab ea parte Frisiam invaderent. Sed dispositis per aggerem Frisiorum praesidiis, terram contingere non potuerunt. Hoc tamen effectum dedere, ut navigatione maritima Frisii uti non possent. Mox Albertus cum omni exercitu Staveram profectus consilium cepit de reliqua Frisia subigenda. Nam difficilis ei res videbatur, quum expertus ipse didicisset, mori quam libertatem Frisios dimittere malle. Illic dum haeret, denuo in eum instauratis viribus Frisii impetum fecerunt ad coenobium sancti Odulphi, sed pari atque antea eventu. Tum geminata clade fracti animi et vires Frisiorum, ne quid tentare deinceps contra Hollandos possent aut auderent. Itaque cum Albertus dies decem ibidem in statione mansisset, nec quisquam contra se pugnaturus appareret, promotis castris

(*) Reliqua in opere Worperi desiderantur. Quae sequuntur incerti auctoris e codice Fonteiniano addita sunt.

universam eam Frisiam, quae inter Flevum et Lavicam est, sibi parere coëgit, acceptoque ab omnibus fidelitatis iuramento, nobilium nonnullos equestri dignitate donavit. Tum more Hollandico ballivos constituit, qui Frisiam suo nomine regerent, e quibus fuerunt Feio Doccumanus, Geroldus Camminga, Renicus Boccama, Tiarcho Waltha. Postremo avunculi sui corpus, quae causa expeditionis potissima fuerat, cum armis et scuto, id est cum insignibus, e sepulchro depromptum, quod in Coenobio Veteri erat, Valencenam misit. His confectis rebus, Stauriae castellum validum, quod primum in hac parte Frisiae fuit, erexit, praesidioque et reliquis rebus probe munivit, atque in Hollandiam cum exercitu victor rediit.

Anno mcccxcvii templum coenobii Fostwerdani pulcherrimum a monachis, ut creditum fuit, Claricampicis incensum, totum exustum est. Quapropter Foswerdici quatuor e Claricampicis occidere in ultionem. Unde multa mala secuta.

Anno eodem Marumi in Ostergoa habitabat Odo Botnia, Focconis filius, vir bellicosus et inquietus, praecipuus Vetcoperorum propugnator. Is socium habebat Iaclonem Ieppema, pariter armis promptum. Hi duo Schiringios per Westergoam multum divexabant. Qua de causa Schiringii Westergoi Ostergois Vetcoperis vicissim perinfesti et graves incubuerunt, multaeque clades mutuo illatae. Uterque Botnia et Ieppema anno mcccxi mortem obierunt, ille die xiv Augusti, hic ii Septembris. Odo ex sorore Iaclonis, quam coniugem habebat, filium unum et duas filias, Iaclo vero filium modo unicum Iepponem Ieppema virum pacificum reliquit.

Anno eodem Sixtus Decama et Galo Hannia cum triennium in Italia studiis literarum operam dedissent, et quadriennium deinde in aulico ministerio Wenceslai imperatoris fuissent, ad suos redierunt in Frisiam. Hi cum Weidum

venissent, et turres domosque parentum ab Ostergois Vetcoperis vastatas et deiectas vidissent, vehementi indignatione accensi, iurarunt se aut morituros aut facinus id in authores ulturos esse. Quod egregie fecerunt Ostergois misere afflictis. Opposuit se his Odo Botnia cum suis: nec tamen facere potuit, quin illi maxima praeda parta ad suos redierint in Westergoam. Id vero dolentes Ostergoi Vetcoperi, collectis suorum copiis, in Schiringios Westergoos rursum duxerunt duce Odone Botnia. Sed a Westergois ad fines provinciae ab insidiis prosilientibus excepti, ambiguo marte diu contenderunt; in qua pugna Odo cum Galone acerrimo certamine congressus, eousque dimicavit, quoad uterque vulneribus multis fessus concideret, atque ex acie efferretur. Tum cessere Vetcoperi, ceciderunt que utrimque plurimi, nam magnis copiis est certatum. Locus pugnae commissae inter Marsumum et Dronrypam fuit, die xviii Augusti anno mcccxcvii.

Vulneratus etiam graviter fuerat in principio proelii Sixtus Dekema, ut socio Galoni opem ferre non posset. Galo et Odo medicorum cura e vulneribus convaluerunt. Post haec per communes amicos de compositione litis inter partes actum saepe, tandemque transactum accedente opera civitatum. Pax firma inita. Interea etiam consultatum de recuperanda libertate excusso imperio Hollandico, quod illis insolitum et intolerabile esse videbatur. Tum iactatum in colloquiis illud *Ein gedwungen Eidt is Got leidt.* Decretumque factum pro affirmanda libertate. Itaque anno proximo mcccxcviii collecti magno numero, Stauria aliisque locis Hollandos eiecerunt. Sic irritatus Albertus Wilhelmum filium suum cum Egmondano, Brederodio, et Arckelesio, adiuncto illis maximo exercitu, in Frisiam iterum misit. Illi in Lemmeranum agrum classe appulsi, atque in littus descendentes, per provinciam Geestanam Hindelopen venerunt. Quam cum transiissent, occurrentes Frisios habuerunt; com-

missoque gravi proelio victoria potiti sunt. Tum incensis passim per vicinos vicos aedibus secundum aggerem Staveram contenderunt, eamque obsessam et tormentis oppugnatam, cum commeatu et reliquis rebus ad sustinendos hostes non satis instructi cives essent, deditione ceperunt, civium vita fortunisque ex pacto conservatis. Quo reliqui etiam Frisii venientes veniam petivere, atque ab Ostervantio Guilielmo obtinuere his conditionibus: I. ut Frisii Albertum Bavarum heredesque ipsius veros ac genuinos dominos agnoscerent: II. ut Alberto heredibusque eius Hollandiae comitibus quotannis tributi nomine solverent senos stupheros in singulas domos. Quibus omnibus constitutis, in chartam relatis, sigillo munitis, Hollandus passim ballivos suos, sculletos et rectores instituit, qui nomine suo provinciam omnem rursam administrarent. Tum in Hollandiam rursum concessit. Frisii iugo iterum accepto, cum aliter facere non possent, a patientia medelam quaesiverunt. Hollandi vero in dies ex hoc successu insolentiores facti, scoptice frequenter de Frisiis locuti sunt, et libertati illorum illuserunt. Qua ex re lites, turba et caedes multae enatae sunt; quae in tumultum et seditionem contra Hollandicos praefectos tandem desierunt. Nam irritati contumeliis Frisii, inita conspiratione decreverunt aut libertatem recuperare, aut omnes emori. Cuius consilii et decreti authores potissimi fuerunt Sixtus Decama, Galo Hannia Westergoi, et Odo Botnia Ostergous, qui reliquos hortari non destiterunt, donec rem conficerent. Quapropter anno mcccci, locis constitutis frequentissimi ad signa convenientes Frisii, praefectos et magistratus omnes ab Hollandis sibi datos expulere; reliquaque Frisia recuperata ad Stauriam obsidendam, quae praesidio Hollandico tenebatur, se contulere. Itaque castris Molckweri contra oppidum munitis, dum obsidionem urgen, ex Hollandia Egmondanus et Brederodius cum copiis militaribus auxilio obsessis venerunt, atque Fri-

sios obsidionem relinquere coëgerunt. Verum cum ulterius progredi non auderent, contenti eo, quod Stauriensibus commeatum, praesidia maiora, aliaque, quae usus belli postulat, intulissent, reliquam Frisiam intactam et liberam reliquere. Egmondanus statum domum rediit in Hollandiam; Brederodius vero adhuc ibidem ad tempus moratus cum copiis Hollandicis ad castra Molckwerumana, unde saepe infesti Frisii ad moenia Stauriensium excurrebant, contendit, ut capta illa solo aequaret sed male cessit hic conatus. Nam Frisii non solum eum sustinuere, sed tantis quoque animis et viribus in copias eius impetum fecerunt, ut multos caederent, nonnullos caperent, in quibus ipsum quoque Brederodium, quem in castra sua captivum perduxere. Sed hic cum negligenter custodiretur elapsus e custodia, Stauriam atque inde in Hollandiam tandem rediit. Sic omni Frisia rursum amissa, quae inter Flevum et Lauricam est, solum Stauriam ad aliquot annos Hollandus retinuit. Frisii recuperata armis libertate, quam armis amiserant, in eadem perstitere, donec fessi malis domesticis, Albertum Saxonem ad annum mccccxcviii ultro accersiverunt.

FINIS LIBRI TERTII.